SERENISSIMO,
ET POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

D. FERDINANDO CORONATO BOHEMIÆ

REGI, ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, &c.
COMITI TYROLIS &c. DOMINO
ſuo Clementiſsimo.

INTER publica bonorum omnium, tantæ dignitatis acceſsionem Maieſtati Veſtræ gratulantium, vota & acclamationes, *Sereniſsime Potentiſsimeque Princeps, Domine Clementiſsime*, vt noſtra quoq; vox & applauſus exaudiretur, optimum factu putauimus, hunc animi noſtri in præſens gratulantis, in futurum bene ominantis, velut præconem ac teſtem ad Maieſtatem Veſtram ablegare. Et profectò ipſæ Ciuitates, quarum Typos ac Deſcriptiones hoc libro damus, quaſi lætitia geſtientes, vltrò nobis ad Maieſtatem Veſtram aditum affectare videbantur: Cuius illarum non paucæ & agnoſcunt Imperium, & Maieſtatem omnes venerantur. Quamuis hic illud meritò dubium videri poſsit, vtrumne Veſtræ Maieſtati, an verò toti Chriſtianæ Reipublicæ potius gratulandum ſit: quę vt hactenus Sereniſsimę Veſtræ Familię; atque etiamnum Inuictiſsimi Imperatoris Matthię virtutibus, tanquam fulcris quibuſdam, vnicè, poſt Deum, ſuſtentata eſt, & adhuc ſuſtentatur; ita porrò Veſtra Maieſtate ſuperſtite, fauſta ſibi omnia ac felicia pollicetur: Cuius pietas in Deum, amor erga ſubditos, iuſtitia in omnes, vniuerſæ denique Principe ac Monarcha dignæ virtutes, tã alto loco poſitę iam dudum orbem terrarum ſplendore ſuo atque admiratione ita impleuerunt, vt nemo fuerit, niſi iniquus & inuidus, cuius animus non & huius quem videmus ac gratulamur, & eius quē boni omnes vouent atque optant, dignitatis apicem Maieſtati Veſtrę ſit auguratus.

Virtu-

Virtutis ergo tuæ, *Rex Potentissime*, licet in hac quoque vita gloriosos indies capias fructus; magis tamen ad ea præmia tua respicit pietas, quæ non tam temporaneam quàm æternam conferunt felicitatem. Sed verissimum est quod suo ore cœlestis effatur Veritas: qui Deum honore affecerint, eos vicissim à Deo honorari.

Quod verò superest, *Rex Serenissime*, qua par est, humillima animi demissione Maiestatem Vestram rogamus atque oramus, hunc vt animi nostri affectum bonam in partem accipiat: dum nos interim coniunctis cum bonis omnibus votis Deum Optimum Maximum regum ac regnorum præsidem & custodem ex intimis sensibus obtestamur, vt & Vestram Maiestatem, & vniuersam Austriacam, mortalium pœnè fastigium egressam, familiam, quàm diutissimè incolumem ac florentem cõseruet. Coloniæ Agrippinæ. 20. die Septemb. Anno M. DC. XVII.

Væ. Serenissimæ Maiestatis


obedientissimi & humillimi Clientes

ANTONIVS HIERAT &
ABRAHAMVS HOGHENBERG.

EXONIA.

QVAE Latinis EXONIA, prænobilis Angliæ ciuitas, vulgò *Exceſtria* dicitur, procul dubio ab *Ex* fluuio (Latinis *Iſca*; quæ appellatio & ipſi opido à Ptolemæo, & Antonino; & ab hac quidem, addito, ad differentiam Iſcæ Silurum, *Danmoniorum* cognomento, tribuitur) & *Caſtro* Britannicæ linguæ perfamiliari voce, nomen ſortita eſt: olim quoq; *Monke-ton*, à Monachorum ibi degentium clauſtro; Britannis verò *Caer-isk, Caer-uth*, & *Pen-caer*, id eſt, vrbs primaria (*Caer* enim vrbs Britannis) dicta. Deuoniæ nobiliſſimæ, & non Comitatus ſolùm dignitate, verùm etiam plurimorum portuum opportunitate & lanificij præſtantia præ cæteris florentis regionis hodie caput cenſetur. Latitudinis quidē ratione, à boreali polo ſub gradu L. & XLV. ſcrupulis; longitudinis verò, ab vltimo Occidente ſub gradu XVI. & XI. ſcrup. poſita eſt. Aer hîc ſubtilis ille quidem, innoxius tamen, immò ſalubris. De agri genio & opidi commoditatibus ſic Malmesburienſis: *Vrbs iſta*, inquit, *licèt ſolum adiacens humidum & ſquallidum, vix ſteriles auenas, & plerumque inane folliculum ſine grano producat; tamen & ſuâ magnificentiâ, incolarum opulentiâ, & conuenarum frequentiâ, omne ita abundat commercium, vt nihil ibi fruſtra deſideres, quod vſui eſſe exiſtimes.* Huic terræ defectui incolæ arenâ è mari petitâ medentur; quæ ſoli ſuperficiei inſperſa mirum in modum ad fœcunditatem eſt efficax, & animam quaſi glebis infundit. Ciuitas ipſa loco ſita eſt peramœno, ad Orientalem Iſcæ ripam, molli & clementer ad Orientem edito colle, ad Occidentem decliui. Mœnia (quorum primus conditor Athelſtanus rex memoratur) circulari ferè ac rotunda forma viſuntur; niſi quòd ſecundùm Iſcæ ripam recta quaſi linea ducantur. Portis ſex aditus patet. Muri, cui alta prætenſa eſt foſſa, interualla frequentibus turribus, ac veluti pharis quibuſdam ac ſpeculis tam firmantur quàm ornantur. Ambitu mille & quingentos paſſus amplecti aiunt; præter ſuburbia, quæ longè hinc inde procurrunt. Eccleſiæ Parochiales XV. numerantur: quarum primaria ſpecioſis ædibus circumſepta, ab eodem Athelſtano condita, & S. Petro dicata, Monachorum olim clauſtrum fuit ſeu domicilium; Epiſcopali poſtea dignitate, translatis VVeſtmonaſterium Religioſis Fratribus, & Cornubienſi ac Creditonenſi ſedibus huic annexis, ab Eduardo Confeſſore ornata. Primus Epiſcopus Leofricus Brito fertur: cuius ſucceſſores templum & ædificijs & redditibus auxerunt: in primis verò Gulielmus Bruerus, qui à primo nonus, Capitulum hîc ſeu Collegium, Decano & XXIV. Canonicis conſtans, inſtituit: quod nunc mutata religione ſublatum eſt. Quo ſeculo floruit inſignis ille Poeta Ioſephus, ab hac vrbe *Iſcanus* dictus; cuius poema de bello Troiano tantæ viſum eſt elegantiæ, vt in Germania ſub Cornelij Nepotis nomine diuulgatum ſit. Non minùs celebris, ſed ſanctior eſt memoria VVinifridi ſiue Bonifacij, qui Haſſos, Thuringos & Friſios Germaniæ populos ad Chriſtianam fidem conuertit, Creditione, (nunc *Kirton*) vicino huic opido, oriundus. Porrò in ipſo collis, cui opidum adſidet, quaſi faſtigio, non procul à portu Orientali, arx viſitur antiquitate tantùm, & ſitu nunc commendata, *Rugemount* vulgò dicta, Occidentalis Saxoniæ regum, poſtea Cornubiæ Comitum, quondam ſedes: vnde non in opidum modò, verùm in ipſum quoque mare amœnus patet proſpectus. Ex aduerſa opidi parte Iſca præterlabens, in plures, ſed tenues alueos deductus, velut inſulas quaſdam facit: ſed ipſius fluminis ad ſubuehenda altiùs mercimonia vſum, moles quædam (*VVeares* vocant) ab Eduardo Cortinæo Deuoniæ Comite ciuibus infenſiori, alueo fluminis obiectæ non parum impediunt, ita vt merces ad viculum Topesham, tribus ab vrbe milliaribus, expoſitas terreſtri itinere deferri neceſſe ſit. Ad Reipublicæ adminiſtrationem quod attinet, ſummus magiſtratus penes Prætorem eſt ſiue *Maiorem*, & Socios ſeu Collegas viginti quatuor: quibus adiuncti ſunt Recordator, & Clericus ſeu Scriba communis, cum publicis Miniſtris, quos *Seruientes* appellant. Horum ęquitate & prudentia ciues & amicè inter ſe viuunt, & omnibus rebus ad vitam neceſſarijs abundant. Quinetiam vrbs hæc olim Ducali dignitate floruit. Horum Ducum vltimus, Henricus ſcilicet Hollandus, Ioannis Hollandi (qui Richardi II. Regis frater vterinus fuit, & ab eo primus ad hanc dignitatem euectus) è filio nepos, quum pro Lancaſtrijs contra regem Eduardum IV. arma ſumpſiſſet, eò miſeriarum adactus eſt, vt Philippo Cominæo teſte, laceris veſtibus nudiſque pedibus in Belgio ſtipem perere viſus fuerit: tandemque cadauer eius tamquam naufragi in Cantianum litus eiectum, inſigni documento fuit, quàm malè vel ſummæ fortunæ, vel Nobilitati credatur. Nec minùs illuſtre humanarum rerum inconſtantię exemplum prębuit Henricus Cortinęus, qui patrum noſtrorum memoria Marchionis Exonienſis dignitate ab Henrico VIII. ornatus, citò iterum ſubuerſus fuit. Cęterum ab ipſa vrbe ad Iſcę vſque oſtium in vtraque amnis ripa nihil ferè memorandum occurrit, præter duo caſtra, *Exminſter* & *Pouderham*: quorum hæc Cortinæorum regulorum ſedes eſt, ab Iſabella de Fortibus conſtructa. in aduerſa verò ripa ipſi oſtio adſidet *Exanmouthe*, piſcatorum vicus. Iam vt de rebus geſtis aliquid etiam addamus, huius vrbis præſidio Britanni per CCCCLXV. annos, à primo eorum in inſulam ingreſſu, Saxonibus reſtiterunt; tandem ab Athelſtano totius imperij potito deturbati, & vltra Tamarum ſubmoti: qui vrbem vallo, muro & propugnaculis cinxit, & multò ſplendidiùs exædificatam & inſignibus priuilegijs dotatam ſolis Saxonibus habitandam conceſſit. Poſtea verò Danis in inſula graſſantibus, vrbs hæc clades aliquot atroces ſenſit, ſed grauiſſimam Anno M.III. à Suenone eorum rege perfidia Normanni cuiuſdam Præfecti capta, & omnibus belli iniurijs vexata & fœdum in modum deformata. Inde quum vix reſpirare & priſtini nitoris recolligere aliquid cœpiſſet, quum ecce à Gulielmo Normanno, *Conquæſtore* vulgò, à nonnullis etiam *Baſtardo* ſeu *Notho* dicto, arctiſſima obſidione cingitur, quam ciues aliquamdiu non modò fortiter tolerarunt, ſed procacibus etiam verbis hoſtem vltrò prouocarunt & irriſerunt. quæ petulantia magnò illis conſtitit, diuinitus (vti antiqui indicant, ſimul & iudicant Hiſtorici) punita. Quum enim bona muri pars repentè concidiſſet, hoſtiſque hac inuitatus occaſione, per ruinam irruptionem tentare decreuiſſet, ciues conſternati, deditione facta, ſub victoris ius conceſſerunt. Sequentibus temporibus binas quoque alias obſidiones Exonia non ſuſtinuit modò, ſed & eluſit. Primam ſenſit ab Hugone Cortinæo Deuoniæ Comite, Anno M.CCCC.XCVII. bello illo inteſtino inter Familias Lācaſtrienſē & Eboracenſem, de regno primùm, deinde de ſalute quoque pertinaciſſimè inter ſe digladiantes. Secundam à Petro Varbeco, qui infimæ ſortis homo, ab alijs ſubornatus, & pro Eduardi IV. filio in ſcenam velut productus, turbas periculoſas concitauit; ſed detecta impoſtura, & illas & vitam ſuſpendio finiuit.

6. tomo de Dr. Martin Cortes. Vinculado.




CIVITAS EXONIÆ (vulgo Excester) VRBS PRIMARIA IN COMITATV DEVONIÆ.
S. Sidmell
Estgate
The Castell
Bedford hause
S. Paul
Gild hal
North gate
South gate
Hollowaye
The Kay
S. Thomas
Insignia Iohannis Hooker

EBORACVM.

POST Londinum, totius Angliæ primaria vrbs censetur Eboracum vel Eburacum *Iorck* vulgò, *Caer-Effroc* Britannis, Saxonibus *Euer-vvick* dicta. Camdenus non aliunde quàm ab *Vro* flumine(quod nunc *Ousa*) vrbem intersecante, appellatam putat, vt *Eburacum* idem sit, quod *ad* vel *secundùm Vrum*. Vrbs sanè est peramœno loco, &(vt cœlestem quoque situm addamus) secundùm mercatoris rationem sub gradu Longitudinis XIX. & XXXV. scrup. Latitudinis verò LV. & scrup. X. sita, ampla & magnifica, ciuibus opibusque referta, non validis solùm propugnaculis munita, sed etiam speciosissimis ædificijs tam publicis quàm priuatis exornata: quam Vrus fluuius, vti diximus, à septemtrionali plaga in australem placidè delabens, mediam ferè quasi in duas vrbes diuidit, quæ lapideo ponte vastissimo, qualis vix vsquam videtur, fornice arcuato coniunguntur. Ea quæ Occidentem spectat, nec magnitudine, nec ædificiorum frequentia par, mœnibus pulcherrimis cum fluuio, quadranguli ferè figura concluditur, portaque vna, quam *Mikelbarre*, id est, *magnam portam* vocant, venientes admittit: à qua longa & spaciosa ad pontem vsque platea protenditur, elegantibus ab vtroque latere exornata ædibus, quibus à tergo subiacent horti peramœni, & post eos ad mœnia vsque campi exercitijs dicati: in quorum australi angulo moles editior eminet, castro, vti videtur, exstruendo congesta, quam Melton Archiepiscopus primùm spissis & XVIII. pedes longis tabulis, postea lapideo muro inclusit: quorum vix nunc vestigia supersunt. Pars orientalis, quæ tota ædificijs condensa est, & angustioribus plateis diuisa, lenticularem ferè habet figuram, validis itidem mœnibus, & ad ortum hybernum Fossi limosi fluminis satis profundo alueo munitur, qui in vrbem ipsam cœca via penetrans, ponte continetur ita ædificijs continuo, vt non pontem, sed perpetuum vicum putes, pauloque inferius Vro seu Ousæ commiscetur: vbi non procul ab ipsis confluentibus è regione molis, quam modò diximus, ad frenandos ciues firmissimũ castrum, loco admodum opportuno excitauit Gulielmus Normannus: quod tamen, vti cætera quoque, tamquam ignauiæ ad detrectandam militiam receptacula, iamdiu neglectum, vetustate paullatim collabascit. Ad ortum æstiuum Cathedrale templum Apostolorum principi S. Petro sacrum, magnifica admodum structura consurgit: iuxta quod, Ousam versus, extra mœnia, suis tamen mœnibus & flumine inclusum nobilissimum S. Mariæ floruit Monasterium, ab Alano III. Britanniæ Armoricanæ & Richmondiæ Comite conditum, & opulentis reditibus dotatum, nunc autem in profanos vsus & regias ædes conuersum. Romanorum olim fuisse coloniam, & sextam Legionem victricem cognomine stationem hic egisse, non leuibus argumentis probat Cãdenus. Seuerum certè Imperatorem suum hac in vrbe habuisse palatium, animamque cum his verbis exhalasse legimus: *Turbatam Rempublicam accepi, pacatam etiam Britannis relinquo*. Nec illud silentio prætereundum, quòd hac in vrbe Bellonæ templum fuerit. Quod ex Spartiano colligitur sic loquente: *In ciuitatem*(Eboracum) *Seuerus veniens quum rem diuinam vellet facere, ad Bellonæ templum ductus est, errore aruspicis rustici*. Quo tempore Prætorium seu tribunal huius vrbis vel hoc nomine fuit longè felicissimum, quòd ÆEmilium Paulum Papinianum, Iuris & Iurisprudentiæ oraculum, viderit & audiuerit, teste Forcatulo. In hac etiam vrbe Fl. Val. Constantius cognomento Chlorus, virtutibus, & pietate insignis Imperator, *qui huc*(vt inquit Panegyristes) *dijs iam ad intimum terrarum limen vocantibus, accessit*, diem suum obijt, solemni Apotheosi, vt è nũmis antiquis videre est, in deos relatus. Camdenus quidem testatur, à fide dignis se accepisse, quum superiori sæculo Monasteria Eboraci diruerentur, in cryptaportícu ædiculæ, in qua Constantium situm opinio erat, lampadem ardentem repertam. Veteres enim, si Lazio credimus, auro in pinguem liquorem arte soluto, diutissimè & per multa sæcula arsurum in sepulcris ignem fouere sunt soliti. Hic pater fuit Magni illius Constantini ex Helena priore coniuge suscepti: quem antiquæ Epigraphæ Romanæ vrbis liberatorem, fundatorem quietis, Reipublicæ instauratorem indigetant. qui quum Eboraci patris spiritum excepisset, statim in Imperatorem fuit eleuatus: cui purpurã milites, (verba sunt Panegyristæ) vtilitati publicæ potiùs, quàm affectibus seruientes, iniecêre lacrymanti, equumque calcaribus incitanti, vt deposcentis exercitus fugeret conatum. Sed modestiam eius vicit Reipublicæ felicitas. Vnde idem Panegyristes exclamat: *O fortunata, & nunc omnibus terris beatior Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidit!* Quod quidem elogium Eboraco primariò debetur. Ab eodem *Constantio* Episcopalem in hac vrbe cathedram collocatam esse Anglorum Annales produnt. Post discessum verò Romanorum, Britanniâ prædæ barbaris relictâ, in eam solitudinem vrbs redacta fuit, vt vix sacellum, in quo Edvvinus rex baptismum susciperet, superfuerit. Idem Anno DCXXVII. oratorium ex ligno erexit: quumque maiorem è saxo Ecclesiam moliretur, vix iactis fundamentis morte præreptus, opus successori suo Osvvaldo perficiendum reliquit. Iam inde Ecclesiastica in hac vrbe dignitas magna suscepit incrementa, pallioque ab Honorio Papa misso, Ciuitas facta est Metropolitana, sic vt Archiepiscopus, præter duodecim in Anglia Episcopatus, in omnes quoque Scotiæ Episcopos Primatis iure fungeretur. Sed ante quingentos annos defecit à sua Metropoli Scotia, & ipsa Metropolis alios vicinos Episcopatus, tenues illos quidem, ita attenuauit, vt quatuor tantùm reliqui sint, Dunelmensis scilicet, Cestriensis, Carleolensis, & Mannensis seu Sodorensis in Manna insula. Magnum quoque huic vrbi ornamentũ attulit nobilissima Bibliotheca, ab Egberto Archiepiscopo(qui circa annum salutis DCCXL. floruit) constituta, quam Malmesburiensis *omnium liberalium artium armarium & sacrarium* vocat. De qua Alcuinus, Eboracensis, Caroli Magni Præceptor, & primus Parisiensis Academiæ quasi formator, vnicum huius vrbis, patriæ suæ decus, in epistola ad Carolum: *Date*, inquit, *mihi exquisitiores eruditionis Scholasticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotissimam Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placet sapientiæ vestræ, remittam aliquot ex pueris vestris, qui excipiant inde quæque necessaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ, vt non sit tantũmodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones Paradisi*. Eodem tempore præter litterarium hunc thesaurum, mira Principum liberalitate magnæ opes in hanc Ecclesiam collatæ sunt. De Vlpho quidem Toraldi filio(quod cum Camdeno ideo adnoto, vt rara quædam in dotandis Ecclesijs consuetudo elucescat) sic vetus liber: *Dominabatur Vlphus ille in Occidentali parte Deiræ, & propter altercationem filiorum suorum senioris & iunioris, super dominijs post mortem, mox omnes fecit æquè pares. Nam Eboracum indilatò diuertit, & cornu, quo bibere consueuit, vino repleuit, & coram altari Deo & B. Petro Apostolorum principi omnes terras & redditus flexis genibus propinauit*. Id Cornũ diligentissimè asseruatum superioribus demum annis, vnà cum cæteris sacris rebus sublatum aiunt. Sequentibus temporibus quum vrbs ipsa, tum vniuersa circumiecta regio tot tantisque cladibus à Danis & Normannis affecta fuit, *vt humus per sexaginta milliaria*(verba Malmesburiensis vsurpo) *penitus inculta iacuerit, vt vrbes olim præclaras, turres cœlo proceritate minantes, agros pascuis lætos si quis tum vidisset peregrinus, ingemisceret, si quis vetus incola, non agnosceret*. Post funestas has clades, quum paullatim recreari cœpisset, regnante Stephano vrbs damnum longè fecit maximum ex fortuito incendio, quo hausta fuerunt Cathedralis Ecclesia, S. Mariæ Monasterium, aliæque religiosæ ædes, & etiam instructissima illa, de qua suprà diximus, Bibliotheca. Et Monasterium quidem citò fuit restauratum; Ecclesia autem Cathedralis seriùs, nec ante Eduardi I. tempora; tandem verò Archiepiscoporum opera non sine vicinæ Nobilitatis ope, ad summam, qua nunc cernitur, elegantiam perducta est. Circa idem tempus ipsa quoque ciuitas nouis mœnibus & dispositis per ea turribus cincta, optimis insuper Respublica legibus constituta. Initio Comitatus fuit, ad Ducatus dignitatem postea euectus. Quæ & quàm cruenta bella inter Duces istos & Lancastrienses de regno contendentes gesta sunt, cuiuis in Angliæ gentis historia non peregrino notum est. Nunc quoque vt olim, prouincia hæc totius regni primaria censetur, & Regum secundogenitis filijs titulus huius Ducatus ferè attribuitur. Superioribus annis Henricus VIII. Senatum in hac vrbe constituit, adinstar Parlamentorum Gallicorum, qui Septemtrionali huic plagæ ius diceret. Ipsa Respublica administratur à Prætore, XII Assessoribus seu Senatoribus, quos Aldermannos vocant, quibus assistunt(vsitatis vtar nominibus) Camerarij aliquot, Recordator, Clericus communis, sex ad Clauam seruientes, duo Armigeri, Ensifer sc. & publicus Seruiens, qui magnâ insignis Clauâ læuum Ensiferi illius latus claudit.

RICHMONDIA.

ARX hæc à splendore seu pulchritudine *Shene* vernaculâ linguâ olim dicta, nunc multò meliori iure nomen idem meretur. Propinquum habet frequens inprimis emporiolum, *Kingstonum*, id est, regium oppidum appellatum: vt in quo ex antiquis Regibus aliquot, Athelstanus scilicet, Edvvinus & Ethelredus, inaugurati fuerunt. Hi verò non in ipso oppido, sed quam diximus, vicina arce habitare solebant. Vnde & ipsa multis regijs funeribus celebratur. Hic enim diem extremum clausit Eduardus III. Rex longè potentissimus, ingenti dolore confectus, quem è præmatura filij bellicosissimi ac rebus in Gallia benè ac feliciter gestis clarissimi, morte hauserat. Hic etiam defuncta est Anna Richardi II. Regis vxor, VVenceslai Imperatoris filia: cuius mortem adeò acerbè atque impotenter tulit maritus, vt etiam ipsam arcem omninò negligeret, ac tamquam funestam auersaretur. Quum ergo paullatim ruinam agere cœpisset, ab Henrico V. restaurata est, adiuncto Carthusianorum Cœnobiolo, Bethlehem dicto. Tãdem Henrico VII. regnante, Regia hæc sedes damnoso incendio ferè tota conflagrauit, verùm vti phœnix, non multò pòst è suis cineribus multò splendidior renata, nouum nomen Richmondiæ, à regione, cui rex ille priuatus, Comitis titulo præfuerat, accepit. Sed & superioribus annis Elisabetha Regina, quæ loci huius amœnitate inprimis delectabatur, vitam hic finiuit.


YORKE
SHROWESBVRY
LANCASTER
RICHMONT
Britannus
Romanus
Saxo
Danus
Rex et Regina.
Nobiles Angliæ.
Ciues Angliæ.
Angliæ Rustici.
A Scale of Pases
The Scale of Pases
A SCALE OF PASES
A.Belfrey Church
B.S.Maryes Abbey
C.S.Martines
D.S.Helens
E.Trinite Church
F.S.Andrewes
G.S.Cuthberts
H.S.Sauiours
I.Christs Church
K.S.Sampsons
L.Crose Church
M.Alhallowes
N.S.Michaels
V.Trinity Abbey
X.S.Iohns
T.Cliffords Towre
2.The Castle
3.S.Loyes
4.S.Martines
7.Boudam
8.Poter Gate
9.Collier Gate
10.Goodram Gate
11.Monke Gate
12.Aldwark
14.Connye strete
15.Blake strete
16.Stone Gate
17.Ouse Bridge
19.Copper Gate
20.Fisher gate
21.Fose bridge
22.Lewe Bury
Monke Bridge
Mary Gate
Ouse flu
Fose flu
A.Colam Brigg
B.Stone Brigg
C.Vnder the wyle
D.Wyle Capp
E.Dogg Pole
F.Almes houses
G.Saint Maryes
H.High Paurnent
K.Scholhause lane
L.North Gate
M.The Lords place
N.S.Maryes waterlod
O.Castle foregade
P.Pintle Broke
Q.The Shambles
R.Fishe Strete
S.Grope Lane
T.Milk strete
V.Beche Lane
W.S.Chads Almesho
Y.Saint Chads
Z.The Colledge
1.Stey Close Lane
2.Market house
4.Hey Strete
5.Meryvauce
6.S Iohns hill
7.Shomakers Row
8.Hound Stret
11.Cleryman hill
12.Backer Stret
14.Mard Wall
15.Rousehill Lane
17.Rousehill
18.Kroken Stret
20.Criples Lode
22.S.Aulkemans chu
23.S.Iulians Church.
24.Wessh Bridge
Cotton Hill
Franckwell
The Abbey
Monkes foregate
The Spittle
S.Gilles
Friers London
The Ruer of Seuerne
1 Greene Agre
2 The Church
3 Olde Hall
4 Nowe Hall
5 S Marye Stret
6 The Mill
7 Fishe market
8 Stone well
9 Butchers Stret
10 Kelne Lane
11 Market Strete
12 S Nicolaes strete
13 The Friers
14 Chennell Lane
15 Penny Strete
16 White Crosse
Skerton
The Free Schole
Weare wall
The Castel
S.Leonards Gate
More Lane
The Pinfolde
Thames flu.

LANCASTRIA.

VNDE nomen oppidum hoc traxerit, disquisitione non eget. Situm enim est ad australem Loni fluuij ripam, à quo sine dubio *Loni-castri* appellationem sumpsit. Camdenus Romanis quoque notum, & *Alonem*, pro *Ar'one* (quod Britannis *ad* vel *super Lonum* sonat) nominatum putat. Speedus vetus illud Longouicum (*Loni vicum*) esse censet, vbi (vt liber Notitiæ prouinciarum testatur) Longouicariorum numerus sub Britanniarum Ducestationem habuerit. Vtvt sit, nũmos hic nonnunquam, Cæsarum imaginibus insignitos, erui aiunt, non obscuro Romanæ vetustatis argumento. Aream antiquæ vrbis ibi fuisse prædicant, vbi superioribus annis Religiosi claustrum habuerunt, à Scotis Anno M.CCC.XXII. repentina populatione succensæ: deinde nouum oppidum, propius collem viridantem ad flumen ædificari cœptum. Hodierni quidem decus omne in castro, Templo, & Ponte consistit. Castrum dicto colli impositum, non ita magnum est, elegans tamen & firmum, non procul inde in ipsa præcipiti collis decliuitate parietis antiquissimi & Romani operis pendet fragmentum præceps. Plateæ plures sunt, & in longitudinem ferè protensæ. Ad Politicam administrationem quod attinet, Eduardus rex III. huic oppido concessit Prætorem seu Maiorem, binosque Balliuos, qui in hodiernum diem è numero duodecim Seniorum Burgensium (*confratres* vocant) eliguntur. His adhibentur vt Assessores, viginti quatuor Burgenses; penes quos summa est administrationis. Accedunt publici Ministri, duo Camerarij, Recordator, Clericus communis & Seruientes ad Clauam duo. Poli eleuatio in latitudine est LIV. grad. & XLVIII. scrup. ab vltimo verò Occidente meridionalis linea XX. grad. & duodequadraginta scrupulis remouetur. De Comitibus ac Ducibus Lancastriæ vide eundem, ex quo & Speedus & nos pleraque hæc sumpsimus, Camdenum.

SARISBVRIA.

AD Viltoniensem in Anglia Comitatum vrbs hæc pertinet *Sorbiadunum* antiquorum esse, cuius in Antonini Itinerario fit mentio, Camdenus verisimilibus rationibus contendit; sed non longè inde alio loco, nimirum in campestri planitie, vbi hodieque veteris Sarisburiæ nomen retinens vicus est, situm. Deserti ab incolis veteris oppidi caussam idem quum militaris præsidij insolentiæ, tum aquarum imprimis penuriæ adscribit. Sic enim Malmesburiensis: In vico ciuitatis castellum erat, muro vallatum non exiguo, cæteris commeatibus vtcumque valens, aquæ penuria laborans adeò, vt mirabili commercio aqua ibi vendatur. Quinetiam Britannicæ linguæ periti Soruiodunum, *siccum collem* interpretantur. Huius migrationis meminit in suis epistolis Petrus Blæsensis. Sic enim de antiquo Sorbioduno scribit: *Erat locus ille ventis expositus, sterilis, aridus, desertus: erat ibi turris quasi in Siloem, quæ habitatores loci onere longæ seruitutis oppressit.* Et paulò pòst: *Captiua erat in monte illo Sarisburiensis Ecclesia. Descendamus ergo felici auspicio ad complana, vbi valles abundabunt frumento, & campi spaciosi pinguescent.* Locum verò in quem descenderunt, vbi hodieque ciuitas sita est, Poeta qui illo tempore vixit, sic describit:

Est in valle locus, nemori venatibus apto
Contiguus, celebris fructibus, vber aquis.
Tale Creatoris matri Natura creata
Hospitium toto quæsijt orbe diu.

Et magno quidem studio statim Richardus Poorus Episcopus templum in loco amœnissimo, priùs *Merifield* vocatum, augustissimum moliri cœpit, cuius structura totis quadraginta annis, incredibili cum sumptu fuit absoluta. Cuius magnificentia è politissimis Danielis Rogersij versibus facilè quis æstimare possit, qui sic habent:

Mira canam: soles quot continet annus, in vnâ
Tam numerosa (ferunt) æde fenestra micat.
Marmoreasque capit fusas tot ab arte columnas,
Comprênsas horas quot vagus annus habet.
Totque patent portæ, quot mensibus annus abundat.
Res mira, at verâ res celebrata fide.

Opibus etiam & annuis censibus Ecclesia hic breui sic aucta fuit, vt præter Episcopum, Decanum, Præcentorem, Cancellarium, Thesaurarium, Canonicos triginta tres honestissimis aluerit stipendijs. Nec minùs interim ciues, dum Episcopus Dei domum molitur, vrbi condendæ atque exædificandæ insudabant, riuulis in singulos vicos deriuatis, & fossâ quà perenni flumine non subluitur, circumductâ: vt defectus quidem aquarum matri non tantus fuerit, quanta & illarum, & pisciũ, & omniũ aliarum rerũ filiæ suppetit copia. Sed vix quidquam ad vrbis incrementum plus contulit, quàm quòd via publica, quæ in Occiduas ducit regiones, auctoritate regia huc translata fuit: ex quo factum, vt veteris oppidi ciues, & plures aduenæ, loci & commerciorum opportunitate illecti, certatim in nouam hanc vrbem commigrarint; & ad hanc, qua nulli Anglicarum cedit, tam publicarum, quàm priuatarum ædium magnificentiam perduxerint. Situm cœlestẽ Mercator ponit sub latitudinis gradu LI. & X scrup. longitud. verò gradu XVIII. & XXXI. scrupulis seu minutis.

HABITVS VETVS ET NOVVS
Britannorum seu Anglorum.

VIdes in hac Tabula simul eleganter depictum tam Veterem quàm Nouum earum gentium, quæ Angliam olim insederunt, & adhuc tenent, habitum: de quo quod dicamus nihil est, vtpote de re, quæ in horas penè pro cuiusque gentis lubitu mutatur. Illud vnum & hinc & ipsa experientia constat, hodiernum Anglorum habitum partim Gallicum, partim Italicum æmulari: & quidem Nobilitatis adeò exquisitum ac sumptuosum esse, vt par aut simile vix quidquam alibi videatur: iamque sumptuaria eis lege opus esse meritò iudicari posit.

DVBLINVM, HIBERNIAE vrbs primaria.

EX omnibus Hiberniæ insulæ opidis nec antiquitate, nec oportunitate commerciorum, nec ciuium frequentia, nec opum abundantia vlli concedit Dublinum: quam Ptolemæus *Eblanam*, Angli *Deuelin*, Cambro-Britanni *Dinas-Dulin*, Saxones olim *Duflin*, & Hibernici *Balacleigh*, id est, opidum super crates appellant; quòd subiectis in palustri solo cratibus ædificia innitantur; sicut Hispalim quoque è simili caussa nominatam, licèt minùs verisimiliter, Isidorus tradit. Sita hæc vrbs est in ea Insulæ parte, quæ Lagenia dicitur; cuius non modò, verùm etiam totius Insulæ primaria vrbs & regia sedes semper fuit, mœnibus & munimentis valida, ædificijs splendida, magnitudine spaciosa, emporium frequens, ac supremæ iustitiæ forũ. Suburbia habet cis & vltra Lifniumamnem, qui eã in duas partes diuidit, valdè ampla, pleraque etiam muro circumsepta. In his quæ ad Ortum spectant, Henricus Secundus Angliæ Rex, Houedeno teste, regium palatium sibi construi fecit: circa annum verò M.C.XIX. Henricus Loundreus Archiepiscopus egregium ibidem armamentarium arcis instar erexit. Ab hoc non longè abest Collegium pulcherrimum, Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis nomini consecratum: quod regina quondam Elisabetha Academiæ priuilegijs dignata est. Quindecim hîc templa seu ædes sacræ visuntur: quarum præcipua Archiepiscopali fulget dignitate, S. Patricio dicata, à Ioanne Angliæ rege liberaliter dotata, deinde Anno M.C.XCI. à Ioanne Cumimo Archiepiscopo insigni Canonicorum Collegio aucta; cuius forma aliqua etiam hodie superest, vt quòd etiam nunc suum Decanum, Cancellarium, Thesaurarium, Præcentorem, & Præbendarios viginti duos habeat ac sustentet. Secundo loco est Christi nomini consecrata Ecclesia, in qua celebris ille Hiberniæ domitor, Richardus Strongbousius, Penbrochiæ Comes, splendido tumulo conditus iacet. Et hæc quidem vrbs vti prima totius insulæ in Anglorum dominationem concessit; ita in eadem constanter perpetuò hactenus mansit, licèt non semel tam ab Austulpho Dubliniensium principe, quàm Gottredo insularum rege vehementer fuerit oppugnata: paullatimque ita effloruit, vt nihil hîc desit, quod in florentissima vrbe desiderare quis possit. Ciues multis immunitatibus ac priuilegijs gaudent, & ab Anglorum moribus parum aut nihil ferè absunt, vt qui plerique ipso ortu Angli sunt, è Bristoliensibus eò deducta colonia. Pro summo magistratu olim *Præpositum* ciuitas habuit; sed anno M.CCCC.IX. Henricus Quartus Angliæ rex iussit, vt *Maior* vnus, & duo *Ballini* quotannis eligerentur, vtque Maiori gladius deauratus præferretur; in Ballinorum verò locum Eduardus Sextus *Vicecomites* substituit: quæ quidem politicæ administrationis forma hodieque in vsu est.

LIMMERICVM.


VT Dublinum totius Hiberniæ, ita Momoniæ, præcipuæ in ea prouincia, caput est *Limmericum*, ciuitas, Hibernis *Loumneagh* dicta. Posita est, secundùm Mercatoris computationem, sub gradu latitudinis LIII. & XX. scrup. longitudinis verò IX. & XXXIV. scrup. Diuiso Sinei nobilis fluminis alueo circumluitur: quod flumen & varijs ciuium vsibus, in primis verò mercibus aduehendis, inseruit, & ipsi opido plurimum ad firmitatem ac munitionem confert. Episcopalis cathedræ ciuitas hæc gaudet prærogatiua: duo etiam, pro more gentis, splẽdida habet Monasteria; vnum Dominicani, alterum Franciscani Ordinis. Castello quoque seu regia arce tam ornata quàm munita conspicitur, à Ioanne Anglorum rege exstructa: in qua Anno M.CCC.XXXII. obsides quidam asseruati, quum viribus se præualere cernerent, occiso Præfecto, ipsam arcem suæ potestatis fecerunt. At ciues tantam iniuriam minimè ferentes, recepto castello, obsides illos ad vnum omnes interfecerunt.

CORCAGIA.

IN eadem prouincia, sed longè diuersa parte, nimirum inter ortum & meridiem aliud opidum visitur, *Corcagia* Latinis, *Corcke* Anglis, & *Corcach* indigenis dictum; astrictiore quidem murorum ambitu inclusum, & vna quasi directa platea protensum, ciuibus tamen frequens, & opulentum. Seditiosis verò vicinis ita vndique cingitur; vt ciues perpetuas quasi excubias interdiu noctuque agere cogantur, nec filias in agrum elocare audeant. vnde fit, vt contractis inter se nuptijs, omnes aliquo affinitatis gradu se contingant, ac tanto faciliùs, immò arctissimè pacem & amicitiam inter se seruent, & communi tutelæ ac saluti intenti sint. Hoc in oppido religiosus ille & sanctissimus vir Briocus, à quo Sanbriochiana in Britannia Aremorica Diœcesis (vulgò *Saint Brieu*) nomen sumpsit, natus & educatus fertur. Districtus ipse, vti & Limmericum, Comitatus dignitate censetur; qui quum Desmoniam quoque contineret, olim quoque Regni prærogatiua fuit insignis. Ita enim ab Henrico Secundo Rege in donationis diplomate, Roberto Stephani filio, & Miloni de Cogan factæ, nominatur his verbis: *Sciatis me concessisse totum*, regnum de Corke (*excepta ciuitate & Oustmannerum Cantredo*) *tenendum, ipsis & hæredibus, de me & Ioanne filio meo, per seruitium sexaginta militum.*

GALVVAIA.

HIBERNIA insula omnis in quatuor prouincias diuiditur; *Momoniã* scilicet, vulgò *Munster*; *Lageniam*, vulgò *Leynster*; *Connaciam*, seu *Connaghty*; & *Vltoniam*, siue *Vlster*. Primarium Connaciæ oppidum Galvvaia est, *Galliue*, Hibernis dictum; quod nec situs opportunitate, nec ædificiorum structura, nec opum, pro gentis captu, abundantia duobus iam descriptis quidquam concedit. Situm enim est non procul ab *Ausobæ* fluminis ostio, ideoque mercibus tã exportandis, quàm importandis, ac per vniuersam regionem distribuendis peropportunum. Muro pinnato ac turribus distincto vndique includitur: qua verò parte Ausoba flumen præterlabitur, eximij operis iungitur ponte. Non procul inde occiduo litori, frequentibus æstuariolis sinubusque exiguis veluti laciniato, insulæ quædam prætenduntur, *Arran* vulgò dictæ; de quibus etiam inter ipsos Hibernos superstitiosa fabula circumfertur, quasi insulæ illæ viuentium essent, in quibus scil. nemo vnquam moreretur, vel morti esset obnoxius: eoque senio fessos, ac vitæ captos tædio efferri inde aiunt. Sed hoc æquè fortè superstitiosum fuerit, atque illud, quod in quibusdam regionis huius locis incolæ, infantium suorum, qui mares sunt,



GALWAYE
DVBLINE
Enis Kelling Fort.
Nobilis Hiberniæ.
Matrona Hiberniæ.
Ciuis Hiberniæ.
Plebeia Hiberniæ.
Hiberniæ Rusticus.
Hiberniæ Rustica.
LYMERICKE
CORCKE
A S^t. Iohns streete and Gate
B The thye Bridge .
C The Maine Streete of the City
D New gate .
E Our Ladies Church
F The Key
G The Kinges Castle .
H Thomond bridge
I S^t. Frances Abbey
K S^t. Peters .
L S^t. Dominicks Abbey
N The Bisheps house
M S^t. Monsthius Church
O S^t. Michaells Church
1 Christs Church .
2 S. Peters Church .
3 S. Franis Abbey .
4 Abbey of ey Ile .
5 S. Barries Church
6 The Spyre .
7 Holly Rede .
8 S. Steuens Church .
9 S. Augustines .
11 The new Fort
11 The Bisheps house
12 The Ports
13 The Entrance Fort .
14 The Walke about
15 The Way to Kinsale
10 Shandon Castle .
17 The Hills commanding the Town .

ſunt, dextera brachia, vbi S. B. initiantur, aqua tingi non permittunt, vt tanto grauiorem plagam magiſque lethiferum ictum inferant. Quam ſuperſtitionem vnde gens vindictæ auidiſſima hauſerit, facilè eſt intelligere. Sed enim ſupereſt, vt de Hibernorum tam antiquis quàm recentibus habitu ac moribus aliquid dicamus.

De Hibernorum habitu ac moribus.

HIberni olim, Pomponio Mela teſte (hæc enim eius verba) *inconditi fuerunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.* Strabo Hibernos longè magis quàm Britannos ſylueſtres, & quorumcunque ciborum, etiam humanæ carnis appetentiſſimos manducones vocat, quinetiam defunctas parentes comeſſe, in eximia honeſtatis parte ponere. Nec minùs alienis in propatulo vxoribus commiſceri, matribus etiam & ſororibus. Solinus, fas & nefas eodem animo ducere, ait. Victores ſanguine interemptorum priùs hauſto, vultus ſuos oblinire. Puerperam ſi quando marem edidit, primos cibos gladio imponere mariti, inque os paruuli ſummo mucrone auſpicium alimentorum leniter inferre, & gentilibus votis optare, ne aliter quàm in bello & inter arma mortem oppetat. Sed hæc prioris ſæculi fuerint mores, barbari illi quidem & ab omni humanitate remotiſſimi: à quibus quantum poſteri diſceſſerint, ex ſequentibus Giraldi Cambrenſis verbis apparet: *Hibernia*, inquit, *gens corpore valida & robuſta, audax naturâ, ingenio acri & bellicoſo, agilis, animo forti & elato, vitæ prodiga, gloriæ auida, hoſpitibus perbenigna, amore conſtans, credulitate leuis, contumeliæ & iniuriæ impatiens, Veneri nimiùm indulgens, & inimicitijs implacabilis.* Verùm vtcumque hæc ſe habeant: illud certum eſt non magis ab alijs nationibus Hibernos, quàm inter ſeipſos differre. Hodieque enim Hibernici populi in Ciuiles & Syluestres, tam veſtitu quàm moribus plurimum inter ſe diſcrepantes, diuiduntur. Ciuiles ſunt, qui legum poteſtatem ſanctam habent, & iudicijs ſe ſiſtunt; & in moribus cultum & vrbanitatem aliquam præ ſe ferunt: quam ex Anglorum, non imperium modò ibi exercentium, verùm etiam negociandi cauſſa eò cõmeantium, conſuetudine ſeu conuerſatione hauſerunt; quorum etiam linguam paſſim imitantur. Qui ſylueſtres dicuntur, tam veſtitu quàm moribus inculti ſunt & agreſtes, ingenio aſperi ac feri, mira naturæ diuerſitate & inertiam amant, & quietem oderunt, vtpote nouis rebus aſſiduè ſtudentes. Ocio ita ſunt dediti, vt nihil ad honeſtatem præclarius, nihil ad voluptatem vberius, nihil ad libertatem certius exiſtiment, quàm ab omni abſtinere labore; atque interim vel oſtiatim mendicando victum quærere. Latrocinia nullam apud eos habent infamiam, quæ paſſim ſumma cum immanitate exercent. Prædatum euntes, preces ad Deum fundunt, vt præda offeratur; oblatam diuino muneri acceptam referunt, neque vim, neque rapinam, neque homicidium Deo diſplicere perſuaſum habent. In eo maiorum ſe veſtigijs inſiſtere dicunt; neque ſuam nobilitatem meliùs teſtatam facere poſſe, quàm ab agreſtibus abſtinendo laboribus, & interim latrocinando. Ad Venerem plerique omnes effuſiores ſunt: matrimonia leuiſſimas ob cauſſas diſcindunt. Superſtitionibus verò præ cæteris omnibus gentibus, quibus quidem Chriſtianæ fidei lumen illuxit, ſunt dediti. Lunam quum primùm ab interlunio vident ſylueſtres illi Hibernici, genu flexo orationem Dominicam recitant, eaque finita, Lunam ſic alta voce alloquuntur, *Tam ſanos nos relinque quàm inueniſti.* Calendis Maij quæ ignem à vicina petit mulier, pro malefica certò habent. Ijdem ramum arboris virentem ad ædes ſtatutum, lactis abundantiam pecori conciliare credunt. Die Sabbati equi pedes tergere, aut corpus ſtrigili mundare, aut gramen in eius paſtum colligere, nefas putant: quum hæc alijs celeberrimis feſtiuitatibus fiant. Equiſonibus oua comedere interdictum. Equitibus poſt oua (quorum numerus par eſſe debet) comeſta, lex eſt manus lauare. In morbis alijſque negocijs, incantationibus & magicis carminibus vtuntur, aduocatis quæ artem hanc, ſcilicet, profitentur, adeoque ſæpè certiùs de morbis iudicant; quàm medici, mulieribus. Ad veſtitum quod attinet, viri olim lineis vtebantur induſijs, & illis quidem laxis admodum, crocoque infectis, cum manicis largioribus, & ad genua vſque fluentibus; tunicis verò arctioribus & breuiuſculis, limbis fimbrijſque in crebras plicas collectis; femoralibus denique arctiſſimis, breui pugione ad perpendiculum propendente. Mulieres comam ſollicitè & ambitioſè cõplicatam & cõtortã geſtant, capita verò tenuiſſimę ſyndonis ſpiris circũuoluunt: colla monilibus & catenulis, brachia armillis onerant potiùs quàm ornant, longis etiam & ad talos vſque demiſſis veſtibus villoſas ſeu heteromallas (vti Iſidorus vocat) lacenas, verſicolori ac variegato, ſeu altius iubato veluti limbo, ſuperinducunt. Et hic quidem & vetus & hodiernus quoque ſylueſtrium Hibernicorum eſt habitus; qui verò cum Anglis aut alijs nationibus exercent commercia, paulatim & mitiori cultui & moribus aſſueſcunt. Statura plerique ſunt mediocri, & ob muſculorum teneritudinem, mira omnium membrorum agilitate. In bellis ſtrenui ac feroces, victoriam verò ſumma cum immanitate exercentes. Qui verò religioni ſe conſecrant, incredibili quadam cum auſteritate ad miraculum vſque ſe continent, vigilando, orando, & ieiunijs ſe macerando, vt neutiquam mira ſint, quæ de ſuperiorum ſeculorum monachis & religioſa eorum vita ſcribuntur.

Ninius auctor eſt, S. Patricium (cuius *Purgatorium* tota inſula celebre eſt) primum fuiſſe Hiberniæ Apoſtolum, ac tanto ſucceſſu cœleſte Chriſtianæ religionis ſemen à ſanctiſſimis viris ſparſum, vt inſula ipſa *Sanctorum patria* diceretur. Hodie etiam pleriquè auitæ Catholicæ religionis ſunt tenaciſſimi, tantoque ægriùs Anglorum, qui ab ea defecerunt, imperium ferunt

MONASTERIVM S. LAVRENTII IN ESCORIALI.

SEPTEM Mundi miraculis merito accenseri potest sumptuosum illud & artificiosum opus Philippi II. Regis Hispan. regium scilicet monasterium Diui Laurentii in Escoriali, quod à Monachis ordinis S. Hieronymi quinque milliaribus Madrito dissitum, habitatur, id quod ex sequenti descriptione manifestum fiet, quam in partes quinque distribuemus. Ab anteriori itaque parte incipientes conspicitis ante hanc fabricam hypæthrum, seu subdialem deambulationem, quæ ab occidentali monasterij parte incipiens, totum septemtrionale latus ambit: lata inter septa & monasterium in occidente pedes 200. in septentrione 140. pauimentum habens ex paruis lapidibus hic quadratis istic rotundis. Primarium huius monasterij fastigium & frontispicium est in occidente, in quo tres portæ sunt: quarum media principalis, per quam in templum, monasterium & Collegium est aditus. Per eam quæ à dextris est in officinas artium mechanicarum, ad vsum monasterij factas itur, quæ à sinistris est. ad cubicula scholæ & studiosæ iuuentutis perducit. In quatuor angulis huius machinæ quatuor turres affabre factæ conspiciuntur: in medio autem inter interiorem introitum, & templi ostia pars hypæthri videtur, quod interiacet: & duæ turres quæ à templi stereobata in altum assurgunt. Cernuntur & gradus tam lati, quam ipsum Pypæthrum patet, quibus in templum ascenditur. Supra templi introitum suis stylobatis stant imagines sex Regum Israel, ex albo marmore, & nigro lapide fario excisæ, habentes singulæ 18 pedes in altitudine. In omnibus rectia videntur sumaria, spiramenta & fenestræ, rotundi canales, & templi laternæ, interius omnia ex lapide nigro confecta. Similiter & magna porticus monasterij Ionico & Dorico opere ex nigro lapide Thracio structa, rectum primariæ cochleæ, peristylium in monasterio, tectum seu turriculæ propylæi, quod ante refectorium est, ab austro templum respiciunt. In aquilone area est, qua in palatium Regis, quatuor porticus Collegij & Gymnasium itur quæ omnia in hac aquilonari plaga ædificata sunt, vti & turris vestibuli ante cœnaculum Collegij. Conspicitur hic & pars quædam officinarum & alia quædam, tam ad hoc ædificium, quam ad monasterium spectantia. In austro quoqne visitantur horti, pomarium, ambulacrum nosocomij, & ædiculæ ad distillationes destinatæ, cum Pharmacopolio, & porticu, qua è monasterio ad cœnaculum hospitum transitur. Hæ sunt partes quæ in præsenti typo delineatæ conspiciuntur. Veniamus nunc ad interiora huius fabricæ ornamenta. Initio cum scala qua ad primarium templi introitum ascenditur, offert se xystus qui ducit ad late patens subdiale, monasterium à Collegio disterminans. In hoc xysto latis gradibus ad templi introitum ascenditur, atque inde ad aliam planiciem peruenitur, quæ ducit ad angiportum, qui est ante templum, vnde ab vna parte qui in monasterio, ab alia qui in Collegio sunt in templum, atque adeo in inferiorem chori stationem itur. Locus chori huius quadratus est. tria habens in quadratura peristylia, quæ & pro naui (vt vocant) templi habentur. Secundum hunc inferioris chori locum ab vtraque parte area est subdialis, ex qua inferior chorus & duo sacella, quæ ad has areas sita sunt, lumen suum excipiunt. In hoc choro duo magnifica stant altaria. Huic choro, qui concameratus est, integrum templum cum choro suo imminet, quod templum præter sacellum, superiorem, anterioremque chori stationem, quadratum est. quatuor nitens columnis, alijsque fulcris necessarijs, tria etiam habens collateralia peristylia, ad modum eorum, qui in naui, seu aluo Ecclesiæ sunt. In hoc templo duo sonant Organa, quorum vtrumque 32. registris (vt vocant) diuersis pulsatur. Habet & templum hoc 36. altaria, portamque magnificam; per quam itur ad crytoporticum magnam, tempore quo fiunt supplicationes. Templum hoc 30. pedibus altius est inferiori choro, totidem pedibus chorus summus ipsum quoq; templum supereminet. Pauimentum templi huius ex albo marmore & nigro lapide vermiculatum est, vti & pauimenta anterioris & posterioris chori sunt, in quo multi libri rituales, & ad diuina officia decantanda scripti & impressi, cum alijs, ad sacra mysteria pertinentibus conspiciuntur.

In huius chori testudine Sol, Luna, stellæ, omnisq; malitia cœlestis artificiosissimè picta exhibetur. vti in parietibus variarum virtutum effigies, vitã ipsam pene exprimentes, Quædam etiam historiæ sancti Laurentij, cui templum hoc dicatum est, in memoriam inclytæ illius victoriæ, quam die Sancto Laurentio sacro de Gallis Philippus reportauit, & sancti Hieronymi, cuius regulam monachi huius cœnobij profitentur. Subsellia ex pretiosissimo ligno, opere Corinthiaco facta sunt.

In australi templi latere ianua est vestibuli, quod ante adytum situm est, quod concameratum, & varijs picturis exornatur. In hoc vestibulo fons e vario genere Iaspidis & marmoris ædificatus, septem aquæ ductibus seu scatebris fluit. In hoc fonte monachi celebraturi manus lauant. Pauimentum nigro & candido marmore variatum est.

Adytum locus est augustus, iucundus, testudineatus, cuius fornices varias, artificiosasque picturas ostentant, atro, candidoq; marmore pauimentatus, causæ quibus altarium ornamenta & sacræ vestes includuntur, e vario ligno, ebeno scilicet, cedrino buxeo, terebinthino, nuceo, &c. confectæ sunt. parietes maxima industria, ingenioque à diuersis ijsque celeberrimis pictoribus delineatis, optimoque ordine iunctis historijs vestiuntur.


Ex hoc adyto per gradus ascenditur ad summum altare, multo quam adytum eminentius. Locus huius altaris varii coloris nobili Iaspide quadrata forma pauimentatus est. In eodem loco quædam etiam oratoria constructa sunt, in quibus Principes sacrum missæ officium audiunt. Hæc oratoria in quatuor sacella, eadem Iaspide vermiculata, & ornata (vt & pauimenta ex simili Iaspide constant) distinguuntur. Locus hic decem pedibus altior est templi pauimento, atque ex illo in templum gradibus, qui aure magnum sacellum sunt, descenditur, qui gradus pulcherrimo Iaspide constrati sunt.

Itur & per hunc locum in sacellum, seu sacrarium, qnod in plaga est septentrionali, in quo multæ & variæ sanctorum custodiuntur reliquiæ, optimo ordine suis arcis inclusæ. Simile sacrarium ab austro est, similibus plenum reliquiis & monimentis.

Ab vno summi altaris latere ædicula est, in qua sacra Synaxis distribuitur, duas habens valuas. Locus profectò magnæ pietatis ac deuotionis. In parietibus huius ædiculæ quatuor historiæ ex vetere testamento, Eucharistiæ sacramentum adumbrantes, mira industria depictę sunt In testudine arcus cælestis inter nubes variis Cherubinis & Seraphinis aspersus conspicitur. Inter hanc ædiculam & summũ altare sacrarium est, in quo Sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum conseruatur, rotundum, octo columnis è Iaspide rauidi coloris, venis seu striis candidis vermiculata substructum. Iaspis hæc tam dura est & nobilis, vt sine Adamante polili neutiquam potuerit. Epistylia & bases è metallo facta sunt deaurato, sicut & coronices atque encarpa. Alia omnia quæ in hac fabrica concurrunt è generosa Iaspide variorũ colorum elaborata, & deaurato metallo imposita seu immissa sunt. In basi quæ tæniis imminet, octo Apostolorum statuæ conspiciũtur, cæterorum quatuor aliis locis stant excauatis. Duodecim istæ statuæ admirãdo artificio sculptæ, & per ignem inauratæ sunt. Pauimentum huius sacrarii stratum est vario genere Iaspidis, deaurato metallo, opere musiuo distinctum. Valuæ huius sacrarij sunt ex generoso crystallo, quem montanum vocant, quæ compagibus è metallo conflatis & deauratis includuntur, adeoque pellucidæ sunt, vt per eas hierotheca interior, in qua Eucharistia reposita est, manifestè videatur. Hoc opus à spectatoribus omnium operum, quæ hoc seculo in orbe terrarum ostentantur, celeberrimum, artificiosissimumque esse censetur. Huius operis architectus celebris ille M. Iacobus de Trezzo, totum septennium in sculpenda poliendaque Iaspide, quæ in hoc opere cernitur insumpsit.

Summum qvoque altare opus est non minus illo pretiosum, nobile & artificiosum, ex Iaspide & marmore conditum. In hoc altari scabellum ponitur, & in eo cruces, candelabra aliaque altarium ornamenta. Altare hoc diuersis, ijsque artificiosis picturis, quatuor stegis, quarum aliæ aliis eminentiores sunt, exornatur. In inferiori stega inter duas pictas tabulas locus est, vbi conditur hierotheca eucharistica, ab vtroque latere duæ sunt statuæ quæ quatuor Doctores Ecclesiæ, Hieronymũ, Augustinũ, Ambrosiũ & Gregoriũ referunt. Stega hæc ex pura & generosa constat Iaspide, ornata encarpis è diuersi coloris Iaspide. Huic stegæ tanquam basi nituntur omnes picturæ & columnæ, quæ ex viridi & raua Iaspide confectæ sunt. Bases autem & moduli è metallo deaurato. Volutæ, tori, & zophori è nobili, versicolorique Iaspide, vti & pilæ affabre factæ sunt. Quid multis? totum opus è pura & nobili diuersorum colorum Iaspide, metalloque fuso & deaurato compositum est, Iuxta secundæ stegæ picturas duæ stant statuæ ab vtroque latere, quæ quatuor Euangelistas repræsentant. Eodem modo & secundum tabulas stegæ tertiæ collocantur duæ statuæ, vna S. Iacobi, Hispaniæ Apostoli; altera S. Andreæ, Diui tutelaris domus Burgundicæ. In summa stega S. Petri & Pauli imagines spectantur.

Arca



AD PHILIPPVM II. HISPANIARVM ETC REGEM CATHOLICVM

Michaelis vander Hagen carmen

Cæsareas moles, atq; alta palatia Regum
Ne posthac Latium, aut Græcia iactet ouans;
Pyramides, et aquæductus, mira et Amphitheatra,
Et Circos veteres Inclyta Roma premat;
Prisca fides sileat vasti Miracula Mundi;
Nam faciunt nostra ad secula, prisca nihil;
Vnus enim Hesperiæ Rex Maximus ille Philippus
Miracula exuperans omnia condit opus;
Non opus; at Molem, qualem neque tota vetustas
Vidit: et hæc ætas non habitura parem.
Nempe Duces olim parti monumenta triumphi
Victi erexerunt ambitione mala;
Atque trophea Diis posuerunt capta profanis,
Aut operis magni in secla perenne decus;
Religionis Apostolicæ verum vnicus ille
Defensor, voti Rex memor vsque pij,

SCENOGRAPHIA TOTIVS FABRICÆ S. LAVRENTII IN ESCORIALI.

Sancti operis dudum æternos molitur honores;
Quo maius nihil hic Maximus orbis habet,
Is Collegium enim Augustum et Regale dicauit,
Laurenti sacrum tempus in omne tibi;
Cui certo numero præsunt Hieronymiani:
O felix Ordo; ô corda sacrata Deo.
Non est hic aliud nisi Magni Sponsa Tonantis;
Maiestate Dei terribilisque locus;
Est vbi Maiestas, et Magnificentia Regis
Prodiga inexhaustas et bene fundit opes.
Regia sic summi est ibi Principis atq; supremi
Numinis. ô qualis gloria? quale decus?
Quis gazas? quis splendorem fando explicet omne?
Angustum ingenium est linguaq; nostra nimis.
Quis vero Regi par, atque secundus Ibero?
Miraculum Mundi solus et ille facit.
Macte animi porro tua tanta potentia crescat;
O Heros populi Inuicte Philippe tui.
Euge autem ô felix Hispania, et euge Madrida;
Quæ nisi tam Magno haud Præside tanta fores.

Arca interior, in qua venerabilis Euchariſtia cuſtoditur, artificioſiſſimè, magnaque induſtria condita eſt, quatuor habens columnas è pura Iaſpide, quarum baſes & capitula è puriſſimo auro ſtant vermiculato: quales ſunt & zophorum, volutæ, & encarpa, ipſam arcā ambientiā. In his multi lucent ſmaragdi. Stylobatæ harum columnarum è ſimili Iaſpide ſculptę, & auro variis locis diſtinctæ ſunt. Tres pilæ quadratæ, quæ ſtylobatis ſubſternuntur, argenteæ ſunt inauratę. Fundamentum vero cui hæc arca ſubſtructa eſt, è nobili Iaſpide & metallo inaurato conflatum ;abaci ,& ſtereobata ſcaporum ſeu pyramidum ex eadem Iaſpide, qua columnę, conſtant auro vermiculato ſtriata. Pyramides è generoſiſſima Iaſpide impluuiata. Sphæræ ſeu globi in apicibus poſiti aurei ſunt, vermiculati. Valuularum crepidines argenteæ ſunt & inauratæ. Globulus qui in faſtigio operis micat precioſiſſimus Smaragdus eſt, floſculo deaurato incumbens. Valuulæ ipſæ Cryſtallinæ ſunt, ex eo genere, quod de Roche, ſeu montanum vocant, Latus quod templum ſpectat, feneſtram habet quadratam & magnam, ex eodem cryſtallo alia duo latera varia Iaſpide, puriſſimo auro diſtincta, ornantur. Simili materia & arte ipſa arca interius exornata eſt . In medio teſtudinis huius operis magni pretij topazius hæret. In meditullio arcæ huius Sacroſancta Euchariſtia in vaſe ex achate facto cuſtoditur. His paucis deſcriptio præcipuorum & excellentiorum operum templi monaſterii in Eſcoriali comprehenditur.

Sequitur deſcriptio ipſius monaſterii. In xyſto qui ante introitum templi eſt, occurrit janua magni veſtibuli huius monaſterii. Per hoc veſtibulum itur ad turrim in qua campanæ pendent, & horologium naturales & planetarias horas præter campanam ipsā demōſtrat. Turris hæc quaſi in ipſa ſtereobata templi verſus cœnobium aſſurgit, vti & oppoſita parte turris eſt, in qua præludium horologii, ſeu campanulæ quibus pulſatis luditur. ſonant.

Propylæum monaſterii ducit ad locum colloquii (Parloir vocant) vbi conueniunt, qui aliquid habent quod cum monachis conferre voluerint: iuxta locum hunc ſcala eſt præcipua & auguſta, mul[illegible]s & latis gradibus inſigni teſtudine, rectoque magnifico. His gradibus diacet ſacellum, in quo diuina miniſteria peragebantur, quamdiu templum ædificabatur , & aliud conclaue , in quo archiuum fundationes, dotationes, inſtrumenta & diplomata monaſterii aſſeruantur.

Per idem propylæum, ſeu veſtibulum, tranſitur ad aream monaſterij: inde ad cryptoporticum , aliumque locum, in quo ciſterna eſt, aquæque pluuiæ colliguntur. Inter hęc duo loca arca erecta ſtat, admirabili opere confecta, in qua multa, eaque maxime neceſſaria cuſtodiuntur.

Ex hoc veſtibulo etiam tranſitus eſt ad veſtibulum refectorii, cui iunctum eſt conclaue, in quo veſtimenta reponuntur: quod conclaue & veſtibulum magno ingenio & arte concamerata ſunt. Veſtibulum hoc octangulare eſt , octo habens feneſtras, per quas omnes porticus adiacentes lumen à hauriunt: in medio veſtibuli fons eſt, cuius aquæductus è Iaſpide ſunt elaborati.

Refectorium, ſeu triclinium monachorum, magnificum opus eſt. Cubiculo veſtiarii adiacet tranſitus ad cœnaculum hoſpitum. huic culina monaſterii & huius veſtibulum, in quo multæ ſunt commoditates, fonteſque calidarum, frigidarumque aquarum. Refectorio iunctum eſt cauædium noſocomii, in quo duo ſunt magna aquaria, ſeu ciſternæ, noſocomium autem ipſum huic cauædio iungitur, cuius cœnaculum vſque ad veſtibulum culinæ protenditur. Præter dicta loca ad murum porticus noſocomii tria ſunt ædificia, in quibus ea conſeruantur & aguntur, quæ ad aquas diſtillandas pertinent. Xyſtus quoque è conuentu ad hoſpitium ducens, in quo etiam ambulacrum eſt, in vſum eorum, qui è morbis conualeſcunt.

Sed & è veſtibulo magno monaſterii aditus eſt ad cryptoporticum , in qua ſupplicationes publicæ peraguntur . Hiſtoriæ hic 46. è nouo teſtamento, ab annunciatione B. Virginis , vſque ad aduentum Chriſti ad extremum iudicium ſpectantur. In huius cryptoporticus quadratæ meditullio hortus eſt amœniſſimus, in varios puluinos artificioſè diſtinctus: in medio fabrica angulorum octo, formam templi referens, è lapide viuo nigro conſtructa: interiores autem parietes iaſpide verſicolori veſtiuntur. In quatuor angulis telamones, ſeu atlantes ſtant, aquam euomentes, quam quatuor marmoreæ ciſternæ, ad quas gradibus aſcenditur, excipiunt. In medio autem huius fabricæ ſemita eſt horti iſtius primaria.

Ex eadem cryptoporticu itur ad exedram, ſeu domum capitularem, aliudque conclaue huic per omnia ſimile. Duo hæc loca vnà cum veſtibulo teſtudines habent variis, iiſque pretioſiſſimis picturis ornatas, pauimenta quoque ex atro & candido marmore concinnata, ſubſellia monachorum in circuitu ſunt, & vterque locus magnificum habet altare.

Introitus ad monachorum cellas tam ſuperiores, quam inferiores eſt in magna porticu; in ea ſcalis cochlidibus ad cellas ſuperiores Prioris , & alia tabulata ad tectum vſque aliaque culmina porticus magnæ plana, plumboque ſtrata aſcenditur. Inferius habitaculum Prioris opus eſt inclytum, totum teſtudineatum; varias ſacræ ſcripturæ hiſtorias exhibens, quæ diuerſis, iiſque artificioſis coronis & encarpis includuntur. Pauimentum nigro, alboque marmore diſtinctum eſt. Superior Prioris cella ad caurum ædificata eſt, à cuius vtroq; latere aliorum monachorum cellæ ſunt ædificatę. Cubiculum in quo nouitii dormiunt, monachorum cellis adhęret . Monachorum verò lectuli ſupra veſtiarium & refectorium longo ordine iunguntur.

Bibliotheca in ſuperiore parte præcipui introitus monaſterii eſt, in longitudine 185. pedes, in latitudine habens triginta duos. Tota concamerata eſt, in cuius fornicibus diuerſarum artium imagines, aliæque hiſtoriæ conſpiciuntur. Cui loco aliud imminet tablinum, vſui bibliothecæ deſtinatum. Atque hæc in monaſterio.

COLLEGIVM nunc, Regiſque PALATIVM deſcribamus, hæc duo ſeptemtrionalem templi partem occupant. Veſtibulum, ſeu introitus eorum eſt in pergula, quæ templo præiacet, è regione magni propylæi cœnobij. Huic veſtibulo iunctum eſt aliud, per quod adoleſcentes , qui litteris dant operam, in ædiculam tranſeunt; mane ad audiendum primum Sacrum, & veſperi ad laudes Deo decantandas. Locus hic tribus æneis clathris clauditur.

Ad aream magnam, collegium à monaſterio diſpeſcentem, ſcholarum atria ſunt, in quibus tres facultates ius, medicina & theologia traduntur: artes etiam docentur. Ad has ſcholas per publicum ambulacrum & porticum hi, qui in collegio ſunt, perueniunt. Habet locus hic ſuas peculiares quoque areas & pergulas, quarum vni adiacet refectorium collegii, cum ſuo veſtibulo, iuxta veſtiblum eſt culina collegii inter aream ipſi propriam, areamque ſcholę triuialis cui & ipſa ſchola puerorum præiacet, eiuſque refectorium.

In ſeptemtrionali plaga per anguſtam portam & propylæum aditus eſt ad palatium Regis. In veſtibulo tria ſunt habitacula, cum ſuis areis, in vſum partim eorum, qui annonæ & cibariis præſunt ædificata: partim in vſum culinæ. Habitacula hæc coniuncta ſunt in variarum menſarum miniſteria . Per idem veſtibulum itur ad andronitidem, vbi nobiles cubiculi regii, præfectus prætorii auguſtalis, aliique generoſi & nobiles prandent, cœnantque. Hac etiam tranſitus eſt ad pergulas & loca ædificiorum eorum, qui commeatus & alimoniarum curam habent, aliorumque opificum. Pergulæ iſtæ in quadro ſua continent habitacula, tam inferiora quam ſuperiora.

In eodem latere alia porta eſt, qua à palatio Regis ad ſacrarium, ſeu chorum inferiorem, ad templum, collegium & monaſterium commeatur. Secus portam hanc xyſtus eſt vbi proceres & excubiæ regiæ conueniunt, Orientem verſus hoſpitia Legatorum , ad magnam porticum & aream extenduntur. Et ad palatium Regis procurrunt. Ad eandem aream habitacula ſtant in vſum aulæ regiæ. Per pergulā hinc porta magnifica peruenitur ad ipſam Regis habitationē , poſt ſacellū conſtructā; quo loco area eſt ſubdialis, cū ſua porticu. Ad auſtrū iuxta altare ſummum alia porta eſt, per quam Rex monaſterium, omniaque loca inferiora ad illud ſpectantia ingreditur; in collegium quoq;, & omnia palatij regij ædificia. Porticus regia ſeptemtrionale templi latus reſpicit. Hic in pariete templi depictum eſt præliū ad Higueruelam, in quo Rex Ioannes ſecundus Mauros, ſeu Saracenos Granatenſes deuicit, quæ pictura rem geſtam plus quam ad viuum exprimit: oſtenditque quo ordine acierumque tam equitum, quam peditum, lancceariorum, ſcutiferorum, ſagittariorumque, quorum eo tempore vſus erat, conſtitutione. Pictura hæc ex prototypo in lineo panno, centum triginta pedum longitudine delineato, & in antiqua turri Segouienſi inuento ipſoque prælij tempore facto efformata eſt. Quam hiſtoriam Maieſtas regia in iſto pariete ad perpetuam iſtius victoriæ cælitus Hiſpianarum Regi conceſſæ memoriam depingi mandauit. Opus hoc ſpectatu digniſſimum eſt.

Poſtremo loco hortus amœniſſimus ad orientem & meridiem viſitur; latitudinem habens pedum centum, varijs puluinis & areolis diſtinctus, in quo omnia florum & herbarum creſcunt genera: varijque fontes amœniſſime ſcaturiunt. Hortus hic multo eminentior eſt pomario, quod adiacet, altoque muro à pomario diſiungitur, & multis gradibus ex horto iſto aſcenditur ad pomarium, diuerſis arboribus conſitū.

CORDVBA.

NOBILISSIMA hæc & amœnissima Hispaniæ ciuitas sita est in ipso fermè prouinciæ Bæticæ meditullio. Qui hanc regionem inhabitarunt olim populi, Turdulos à Ptolemæo, Plinio & Strabone appellatos volunt. Ab ortu fines eius ad Bastulos seu Basteranos vsq; protenduntur. Ad occasum Turdetanos contingens, Hispalensi territorio terminatur. Ad austrum lætissimi campi in spaciosam planitiem sese diffundunt, ad ipsum vsque mare Mediterraneum & Gaditanum fretum expansi: qua verò parte Septemtriones Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorum montium radices, quos Hispani nunc prisco corrupto nomine, Sierra Morena, id est, Morenos montes vocant. Ea verò montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cùm eo ad ortum coniungitur. In his montibus, auctore Plinio, Bæturia regio, à Bæti flumine nomen accipiens, ad Anam vsque fluuium extenditur, in duas partes diuisa. Bætis fluuij, qui Cordubam alluit, *Cirtius* olim, & *Tartessus* etiam, vt apud Plinium, Liuium & Strabonem est, dictus, tanta semper fuit celebritas, vt toti prouinciæ nomen dederit. Tanta idem est magnitudine, vt ingentia flumina absorbens *Gaudalquibir*, id est, magnum flumen (quod ei nomen hodieque apud vulgus manet) à Mauris vocatus sit. Idem ab Ortu ad Occasum Australe Cordubæ latus præteruectus, ita montes à patentibus disterminat campis, vt natura ipsa diuersissima soli discrimina seiungere, & eo tamquam limite separare voluisse videatur. Quo ad aspectum nihil potest fieri pulcrius, nihil amœnius. Hinc enim montana, quæ ad ipsa penè suburbia procurrunt, duris præruptа rupibus, celsis collibus edita, hortis, vineis, oleis, & omnium generum arboribus lætissimè virent, & incredibilem suauissimorum fructuum suppeditant copiam: inde trans flumen campestris regio per immensam planitiem leniter strata, segetibus flauescit, & copiosis messibus agricolarum vota superat. Huius enim terræ quæ sit feracitas, inclyta Cordubensis ciuitatis horrea totâ Hispaniâ celeberrima satis ostendunt. Soli verò montibus accliuis quanta sit amœnitas, pari cùm fertilitate coniuncta, vix quisquam dignè possit explicare. Ipsæ præcisæ rupes, scopuli ipsi, vbi planum quippiam non soli (neque enim solum est illud, sed lapidum strues) verùm quidquid id est plani, syluestres arbores, Loton suauissimam & siliquas spontè nascentes; satiuas vero, oleam, vitem, ficū, Cerasum, mala Punica & Persica, pruna, & quod magis mirandum, Citrea mala omnis generis producit. Debetur hoc magna ex parte fontium beneficio, copiosam, purissimam, suauem, & potu salubrem etiam aquā profundentibus, quibus omnia passim irrigantur. Hinc valles circa vrbem ob insignem pulcritudinem & amœnitatem, ab paradisiacis, ab regijs hortis, ab rosarum multitudine, aut ab florum aspectu nomen inuenêre. Vini & Olei tanta est copia atq; adeo exuberantia, fructuumq; omnis generis tanta vbertas, vt aduenis & peregrinis sæpè stupori sint malorum citriorum cumuli, qui vicatim non solùm vili precio vænales habentur, sed aliquando etiam, nouorum fructuum superuentu, per agros & sterquilinia abijciuntur, quinetiam non modico impedio ex arboribus mala nondum matura decutiuntur, ne superfetantes flores impediant: quorum tanta est verno tempore fragrantia, vt maior esse non possit: & qui non modò anhelos senes recreant, sed suauissimo etiam odore vrbem totam vicinosque agros ita perfundunt, vt ad eam suaueolentiam captandam noctu homines peruigiles discurrant. Ferunt Miocam Arabum Ducem, qui Hispaniam totam & subegerat & perlustrauerat, quum Cordubam egressus, in Africam traiecturus, deducentibus eum Hispaniæ proceribus, iter occiperet, & in collem, vnde totius vrbis patebat prospectus, venisset, mula, cui insidebat, retro conuersa, tacitum aliquantulum constitisse, deinde vrbem contemplatum, in hæc verba erupisse: *O Corduba quàm præclara es! quæ & quantæ sunt tuæ deliciæ! quantis bonis te Deus præ cæteris cumulauit!* Hæc effatus, mœrens, iter persequutus est. Nec soli modò superficies, verùm etiam ipsa terræ viscera Cordubam beant. Metalla Cordubensia apud auctores certè sunt celebratissima, *Auriferamque* Cordubam Poetæ vocant. AEs Marianum, hoc est, quod prope vrbem hanc in montibus *Sierra Morena* hodie dictis effoditur, maximè Plinius laudat. Argenti viui & Stibij ditissimæ fodinæ hodie passim circa hanc vrbem conspiciuntur.

5



CORDVBA
A. Ecclesia Maior.
B. Ecclesia Societ: Jesu.
C. Ecclesia S. Nicolai.
D. Fortellum.
E. Ecclesia Sanct: martir:
F. Ecclesia omnium Sanct:
G. Palatium Regium.
H. Pons Magnus.
I. Palatium archiepiscop.
L. Stabulum Regium
M. Mons dictus Serra Morēā
N. Ecclesia S. Hieronimi.
O. Ecclesia S. Spiritus.
P. Molendinum de Martos
Q. Vbi carnes venduntur.
R. Eccles. S. Dominici del Vante.
Rio Guadalquiuir


FANVM S. GERMANI,
vulgò *en Laye*, arx Galliæ regia.

VIX quidquam non in Gallijs modò, ſed tota fere Europa ipſe ſol ſeceſſu hoc vtroque videt amœnius. Prior quidem verè arx regia, Sangermanū en Laye vulgò dicta, ſita eſt non procul à Sequanæ ripa, viridantibus & vmbroſis arboribus veſtita. Subſtructiones hic viſuntur admirandi operis; areæ ampliſſimæ, palatia magnifica ac verè regia; horti topiario opere admirabiles; viridaria, pineta, arboribus in quincuncem diſpoſitis, amœniſſima. Quid ego de fontibus dicam & aquis ſalientibus? Quid de ſtatuis artificioſiſſimis varijſque automatis? Inter quæ menſa eſt marmorea, aquam limpidiſſimam vndique profundens, quam phialarum ac poculorum varia genera excipiunt. Nec minus admirabilis eſt Nymphæ cuiuſdam Muſicum organum ſuaui concentu pulſantis ſtatua. Quin etiam fictas videre eſt luſcinias, verarum vocem hydraulico artificio quàm proximè imitantes. Cetera vix cuiuſquam penicillo pro dignitate deſcribi poſſint. Arcis huius prima fundamenta iecit Carolus V. Galliæ rex. Sub Carolo deinde VI. in Anglorum, vti etiam magna Galliæ pars, fuit poteſtate: donec eam Carolus VII. à Præfecto quodam Anglo magna pecunia redemit. Hodie quoque Galliæ regum ſeceſſus eſt optatiſſimus, & ad reficiendas tam animi, quàm corporis vires peropportunus, omnibuſque rebus abundantiſſimè inſtructus: in quo hodiernus Galliæ rex Ludouicus XIII. magnam pueritiæ ſuæ partem tranſegit.

FONS BELLAQVEVS.


ARX hæc, vulgò *Fontaine Belleau* dicta, nomen ſortita eſt à limpidiſſimæ aquæ fonte. Sed & præter hunc omnibus locis hic mira eſt viuarum aquarum copia. Magnifica admodum vniuerſæ arcis ſtructura eſt, & palatium verè regale; vt non vnus, ſed multi reges commodiſſimè hic excipi, ac pro dignitate tractari poſſint. Locum hunc Ludouicus Sanctus rex in delicijs habuit, Eremum ſuam ſeu Seceſſum appellans. Quum ruinam minaretur Arx, Franciſcus I. Rex Galliæ, conquiſitis per vniuerſam Europam excellentiſſimis architecturæ magiſtris, non arcem modò reſtaurauit, ſed ex ea quoque caput omnium in Gallijs arcium fecit, adeo vt ſimilis ei vix vſpiam reperiatur. Idem munificus litterarum ac litteratorum pater, inſignem hic Bibliothecam inſtruxit. Loci amœnitas tanta eſt, quanta vix cogitari poſſit. Hortos habet omni rariorum fructuum, florum ac herbarum genere mirum in modum excultos, ac deambulationi aptiſſimos. Auiarium ibi tanta amplitudine, tanta elegantia, vt ſpectantes in admirationem rapiat. Paſſim etiam antiquas Inſcriptiones aliaque vetuſta Romanorum monumenta videre eſt. Ad venationem ſyluæ vicinæ opportunæ ſunt. Riuuli, ſtagna & flumina vberem piſcatum præbent. Aucupij quoque mira hic eſt facilitas & copia. Aer liber ac ſalubris. Nullus denique locus in tota Gallia Principum recreationi ac delicijs commodior eſt, menſibus præcipuè æſtiuis. Huic frequentes vicinæ ſunt arces & oppida, in quibus excipi commodiſſimè poſſunt ij, qui Curiam regiam ſequuntur. Henricus certè IV. ſuperior Rex locum hunc præ ceteris amauit, ibique multorum Regum ac Principum Legatos excepit, eo præſertim tempore, quo & regem hunc & filias ſuas ſacro Baptiſmo hic tingi, & Chriſto atque Eccleſiæ inſeri voluit.


PORTRAIT DES CHASTEAVX ROYAVX DE SAINCT GERMAIN EN LAYE
Le ieu de Paulme
La cour dentre les deux Chasteaux a 134. toises de long et 84. de large
La cour de deuãt la grãde salle.
Le Iardin qui est entre les deux bosquetz a 84. toises de long et 40. de large.
Le iardin en pente a 113. toises de long et 52. de large.
Le iardin des canaulx a 113. toises de long et 85. de large.
La Riuiere de Seyne
A. Les deux bosquetz ont chascun 50. toises de log et 40. de large.
B. La grotte d'Orphee
C. La grotte de Persee.
D. La grotte de Neptune.
E. La grotte des Orgues
F. Les chapelles du Roy et de la Royne.
G. Les deux petitz iardins ont 67. toises de long et 23. de large.
H. La grande Salle a 14. toises de long et 5. de large.
I. Les Galleries du Roy et de la Royne ont 34. toises de long et 3. large
K. Les deux cours des offices ont 28. toises long et 20. de large.
L. Le vieil Chasteau a de facade 35. toises et de coste 45.
M. La basse cour a 39 toises de long et 26. de large.
N. Le grand iardin du Roy a 150. toises de long et 97. de large du depuis la cour qui esct deuant la grande sasle iusques a la riuiere illia 28. toises de pente.
O. Le parc a 1445. toises de long et 382. de large.


PORTRAIT DE LA MAISON ROYALE DE FONTAINE BELLEAV.
1. La Cour du cheual blanc a 80. toises de long et 58. de large.
2. La grande gallerie a 76. toises de long et 3. de large.
3. Le pauillon des poiles.
4. La Cour de la fontaine a 30. toises de long et 28. de large.
5. La sale de la belle chemnee a 20. toises de long et 5. de large.
6. La petite galerie a 30. toises de long et 3. de large.
7. Leglise de la trinite a 20. toises de long et 4. de large.
8. Les Ieux de paulmes.
9. Le Iardin de la Royne a 50. toises de long et 38. de large.
10. La voliere a 38. toises de long et 3. de large.
11. La galeries des cerfz et de la Royne ont 28. toises de long et 3. de large.
12. Le logemant du Roy et de la Royne.
13. La conciergerie.
14. La cour du dongon a 40. toises de long et 20. de large.
15. La sale du bal a 15. toises de long et 4. de large.
16. Chappelles haute et basse.
17. La cour des offices a 45. toises de long et 40. de large.
18. Le grand portail.
19. Le logis de Monsieur Zamet.
20. Le grand iardin a 190. toises de long et 154. de large.
21. Le logis de Monsieur de Suly.
22. Le iardin de letant a 34. toises de long et 34. de large.
23. L'estan a 150. toises de long et 114. de large.
24. La vielle conciergerie.
25. La fontaine dons fontaine belleau prant son nom.
26. Le iardin des pins a 160. toises de long et 80. de large.
27. Le iardin des fruis a 84. toises de long et 80. de large.
28. Le bois des canaux a 88. toises de long et 80. de large.
29. Le chenil.
30. La Capitainerie.
31. Le passe-mail a 300. toises de long et 3. de large.
32. Le circuit de tout le Chasteau a 1450. toises de tour.

NANCEIVM.

CIVITAS hæc nobiliſſimi Lotharingiæ Ducatus caput eſt ſeu Metropolis, & firmiſſimum propugnaculum; antiqua illa quidem, cuius tamen & magnitudo & ſplendor ante annos non multos ea ſumpſit incrementa, vt paucis hodie tam Galliæ quam Germaniæ (in quarum propè confinio poſita eſt) vrbibus concedat. Muniri inprimis cœpit Anno MDLXXXVII. quo Gallia inteſtinis bellis flagrante, Germaniæ quidam Principes validum exercitum alteri parti auxilio miſerunt. Quum ergo metus eſſet ne loco tam opportuno intercepto, vniuerſa inde regio vaſtaretur; Lotharingiæ Dux, qui domicilium & olim & nunc etiam hic habet, ſuburbium oppido prætentum mira celeritate, vallo, propugnaculis ad arcendum hoſtem commodiſſimis diſtincto, incluſit, ſicque è duobus velut oppidis vrbem fecit peramplam: quæ tamen in duo etiamnum oppida diuiditur; quorum vnum inferius, alterum ſuperius appellatur, ambo tamen ad propugnaculum Hoſſonuillanum ponte coniunguntur. Propugnacula in vniuerſum ambo habent maiora quindecim, excepto quod inter vtrumque oppidum eſt ad dictum pontem; è quibus nonnulla, ea; præſertim quæ Portam B. Virginis, ad læuam minoris oppidi, reſpiciunt, duplicata ſunt, profundis omnia foſſis tum ad exteriorem earum crepidinem, via quadam latente ad inſidias hoſtiũ excipiendas atque auertendas, cincta. Maius oppidum tribus patet portis, ad quarum mediam a dextra parte duæ ſunt ſacræ ædes; vna PP. Capuccinorum; altera portæ proximior, Societatis Ieſu. Non longè à ſuperiori porta inſignis Eccleſia Primatialis Anno MDCIX. ædificari cœpit, tanta operis prȩſtantia, vt excellentiſſimis poſſit adnumerari. Ad inferiorem & illi quaſi oppoſitam partem lacus eſt ſeu ſtagnum S. Theobaldi vulgo dictum. Regia ſiue Ducum domicilium magnificentiſſimum in minori viſitur oppido : iuxta quod horti ſunt amœniſſimi; tum Hippodromus in quo partim ſubdiali, partim tecto, equi ad curſum finguntur atque exercentur: & iuxta hunc in vico nouo ſpacioſa area ſeu platea, in qua ludi equeſtres, decurſiones, haſtiludia, cæteraque certamina ludicra eduntur. A reliquorum tam publicorum quam priuatorum ædificiorum, vt Armamentarij, Monetariæ officinæ, Macelli, &c. cõmemoratione ſuperſedeo: quæ omnia & magnis ſumtibus conſtructa, & commodiſſimis locis ſunt diſpoſita. De foris, in quibus diſtincte omnes res ad vitȩ vſum pertinentes venales habentur; tum de fontibus, è ſiphonibus aquam iugiter effundentibus, quid dicam? quorum tanta eſt copia, vt ad vſum tam ciuium quam exterorum aliunde merces aduehẽtium, nihil poſſit eſſe commodius. Sed nihil hanc vrbem magis nobilitat, quam internecina Caroli, cognomento Audacis Burgundiæ Ducis, ad eam accepta clades. Is enim quũ nõ Imperatori modo & imperio, ſed Heluetijs quoque & Renato Lotharingiæ Duci bellum feciſſet, à Nouesij obſeſſione depulſus, cum ingenti exercitu, vt in quo centum armatorum millia fuiſſe perhibentur, per Burgundiam ipſe profectus, multa Lotharingiæ oppida, & in his Nanceium quoque occupauit: quæ tamen Renatus Dux, Caroli exercitu ad Murtam ingenti clade profligato non multo poſt, & Nanceium quidem VI. Octobris, Anno MCCCCLXXVI. recepit. Carolus poſt ſeptimanas aliquot recollectis copijs, media iam hyeme Nanceium rurſus obſedit, validis Gallorum, Heluetiorum & Germanorum præſidijs firmatum. Ex his quadringenti circiter equites, ſinguli a tergo peditem habentes, noctu oppido egreſſi, & in Burgundorum caſtra illati, non paucis cæſis, & tormentis etiam aliquot ſecum abductis, ſine vllo fere ſuorum damno in oppidum redierunt. Accepta obſidionis fama, Dux ipſe citatis equis ad Heluetios & Confœderatos properat, trepidis rebus auxilium petens, quod tantis ſuſtinendis viribus oppidum longe impar videretur. Carolus interea oppugnationem ſtrenuè vrgebat, admotis propius ad S. Nicolai portam copijs. Id minime ferentes prȩſidiarij, ductore Ioanne à Rinach, eruptionem faciunt, & quadringentis circiter interfectis, reliquis fugatis cum opulenta præda, in qua octingenti equi, in oppidum reuertuntur. Hac gemina clade irritatus Carolus ipſo feſto S. Stephani oppidum ſummis viribus inuadit; ſed rurſus non minori quam antea clade repellitur. Iam magna alimentorum inopia obſeſſi premebantur, cuius conſcius Lotharingus auxilia tanto diligentius ſollicitabat. Confœderati ergo, Auſtriacarum ſcilicet ijs locis regionum Prȩfecti, Comes Thierſtenius, Epiſcopi & ciuitates Baſileenſis & Argentinenſis, Colmarij, Seleſtadienſes, & Heluetij, contractis ſedecim circiter armatorum millibus, opinione celerius Ducis caſtra aggrediuntur: qui directis in viã qua hoſti veniendum erat, tormentis, nullo negocio impetum eius excepturum ſe ſperabat. Sed Germani milites aperta per condenſam ſepem via, è tranſuerſo in Burgundos nondum bene inſtructos incurrerunt, ſtatimque tota caſtra terroris & fugæ impleuerunt, in qua plures quam in prælio perierunt, Lotharingo ante multam noctem nullum fugientes perſequendi finem faciente. Carolum alij equi lapſu obtritum, alij (quod veriſimilius) lancea ex equo deiectum, & tribus vulneribus quæ in cadauere poſtea reperto apparuerunt, confoſſum ſcribunt. Mors eius diu latuit, vt qui ignotus ab ignoto procul dubio erat percuſſus Sed & repertum inter occiſos cadauer ægre agnoſci potuit, toto vultu gelu mirum in modum deformato quod deinde Nanceij honorificè eſt tumulatum. Ita Carolus quidem, cuius potentia omnibus Regibus, Principibus ac Rebuspublicis erat formidabilis, audacia & ambitio pluſquam nota, ad Nanceium vitam amiſit, inſigni rerum humanarum inconſtantiæ ac ludibrij documento.



VRBIS NANCEI LOTHARINGIAE
Metropolis secundum formam quam hoc Anno
M.D.C.XVII. habet exactissima delineatio.
LA VILLE DE NANCY CAPITALLE DE LORRAINE POVR
tricte au vif comme elle est ceste annee 1.6.1.7.
Le Bastion de S.Iaques.
Le Bastion de S.George.
Le Bastion de la Magdelaine.
Le Bastion de Haraucourt.
Le Bastion de S.Nicolas.
Le Bastion de Sorup.
Le Bastion de S.Thiebauld.
Le Bastion de S.Iean.
Le Bastion de Vaudemont.
Le Bastion le Duc.
Le Bastion de Haussonville.
Le Bastion le Marquis.
Le Bastion de Donnemar.
Le Bastion de Salm.
Le Bastion de Nostre Dame.
1. Ichnographie du bastiment de l'insigne Eglise Primat.le de Nancy
2. L'Hostel du Primat.le de Nancy
3. Les Maisons des Doyen et Chanoines de l'insige Eglise Primatiale
4. L'Insigne Eglise Collegiate de S.George.
5. S.Epure Eglise Parochiale.
6. Nostre Dame Eglise Parochiale
7. S.Sebastian Eglise Parochiale.
8. L'Eglise des Cordeliers.
9. L'Eglise des Minimes.
10. L'Eglise des Capucins.
11. L'Eglise des Iesuistes
12. L'Eglise de S.Michel.
13. L'Prieure des Dames de lor dre de S.Dominique dites les Dames-Prescheresses
14. L'Eglise des Soeursgrises.
15 L'Hospital S.Iulien et son Eglise.
16 L'Hostel Ducal.
17 Iardins de l'Hostel Ducal.
18 L'Hostel de Vaudemont
19 L'Hostel de Salm.
20 L'Hostel de Hauré.
21 La grande Maison.
22 L'Hostel de Ville.
23 Maison du Conseil de Ville.
24 La grande Escuyerie.
25 La petite Escuyerie.
26 Carriere à picquer et dresser cheuaux en partie couuerte et en partie descouuerte
27 L'Arcenac.
28 La Monnoye.
29 Greniers à blé.
30 Boucheries.
31 Maisons des Batteurs d'or.
32 Maisons des Manufactures de Soye
33 La Teinturerie en Soye
34 La Batterie de Chauderons
35 La place de S.Epure ou l'on fait la possonerie et le Marche aux herbes
36 La grande place ou l'on vend toute sorte de gibiers volailles et fruitz.
37 Place a faire ioustes Tournois et couses de bague.
38 Le Marche au bestail fourage et bois
39 L'Estappe.
40 Le marché au blé.
41 Place destinée pour y bastir vn nouueau College.
42 La grande fontainne.
43 La fontainne Sorette.
44 Fontainne du viel Hospital.
45 Fontaine de la neuue rue
46 Fontaine des Sœurs-grises
47 Fontaine iettant eaue par trois gros tuiyaux en grande abondance, ny aiant presentement qu'vne estache d'vne piece de bois carrée dressée en cest endroit deuant l'Hostel de ville, en attendant que l'ouurage que l'on fait d'art et materiaux exquiz pour la dite fontaine soit paracheué.
48 Les Moulins de S.Thiebauld.
49 La porte de Nostre-Dame.
50 La porte de S.George.
51 La porte de S.Nicolas.
52 La porte de S.Iean.
53 La porte de S.Nicolas entre les deux villes.

BARRODVCVM
vulgo *Bar le Duc.*


DVo hodie sunt Barri nomine in Gallijs insignia oppida, quorum vnum Burgundiæ, alterum Lotharingiæ accensetur. Illud quidem vulgo *Bar sur Seine*, idest, Barrum ad Sequanam; hoc vero *Bar le Duc* seu Barrum Ducis appellatur. Vtrumque Ducatus gaudet titulo; vtrumqu etiam Arcem habet, Ducis habitationi conuenientem. Cuius effigies hac tabula repræsentatur, Barrum Ducis est, Lotharingiæ Ducatui annexum. Quemadmodum autem primogenitus Lotharingiæ Ducis filius, quam diu cœlebs vixerit, Marchionis Mussipontani titulo vtitur; ita postquam vxorem duxerit, Barri Dux appellatur. Ad oppidum ipsum quod attinet, in multa velut membra sparsum, eorundem coagmentatione in vnum corpus coalescit. Diuiditur enim in Superiorem, Inferiorē, Nouam ciuitatem, & Arcem, omissis suburbijs, quæ ipsa quoque ampla sunt. In his sacræ ædes præcipuę sunt Prioratus & Parochia B. Mariæ Virginis. Cetera singulari artificio exstructa templa ex ipsa tabella conspici possunt. Arx tam amplitudine quam structuræ elegantia paucis cedit. Collegium hic est seu Camera Rationariorum, ad quod vniuersi Ducatus reditus & vectigalia referuntur. Quo tempore Carolus Lotharingus sacri fœderis Dux, bellum contra Henricum IV. Franciæ & Nauarræ regem, non ita pridem defunctum, gerebat, parum abfuit, quin vrbs hæc in Gallorum venerit potestatem, superiore ciuitatis parte Aumontij militum Tribuni ductu iam occupatâ; sed ciuium virtute ac Germanorum militum aduentu mox receptâ.

Ceterum, vt de ipso Ducatu ac Principibus etiam aliquid addamus, illum Symphorianus Champier Gallicus auctor sic describit: Bar, inquit, prouincia est Austrasiæ, seu Franciæ Orientalis, Comitatus olim, nunc Ducatus, valde fertilis, ac multis à Natura bonis dotatus: cuius limites sunt; ab vna parte Campania; ab altera Lotharingię Ducatus; quà Belgium spectat, Ardenna sylua & ager Luxemburgensis. Prouinciam hanc diuersi Principes, virtute ac rerum gestarum magnitudine præclari tenuere: quorum catalogum breuiter ex eodem Symphoriano annectere, non abs re forte fuerit. Theobaldus Barri Comes, qui armensenam Comitissam Luxenburgensem in matrimonio habuit, vixit Anno M.CC. mortuus, vt putatur, circa annum M.CC.XIII. Ei Henricus tam in Luxēburgico quam Barrensi successit Comitatu. Huic suffectus est Theobaldus, Anno circiter M.CC.XLII. vixitque vsque ad annum M.CC.LXX. Theobaldo surrogatus est Henricus, eius nepos, Eduardi filius; qui bellum Franciæ regno inferens, & à Philippo rege captus pro lytro seu redemtione sua ciuitatem & arcem Barrensem quæ sui iuris ante fuerant, clientelaris beneficij seu feudi nomine à Franciæ regibus accipere coactus est. Idem constitutis rebus domesticis, datisque Eduardo filio tutoribus, ad bellum contra infideles gerendum profectus, in Cypro diem extremum clausit. Eduardus parte defuncto, Barrensis Comitatus dominium adeptus est, ducta in vxorem Maria Burgundiæ Ducis filia: è qua Henricum filium suscepit. Henricus defuncti patris hæres, coniugem sibi adsciuit Irlandam Flandriæ Comitis filiam, quæ duos ei peperit filios, Eduardum & Robertum. Moritur anno M.CCC.XLV. Eduardus natu maior vxorem habuit filiam regis Nauarræ. Mortuus sine liberis in bello contra Anglos, Robertum fratrem heredem reliquit. Robertus Anno M.CCC.LX. matrimonio sibiiunxit Mariam, Frāciæ regis filiam, per quem Comitatus ille ad Ducatus dignitatem est euectus, multorum liberorum ex ea pater, sex filiorum scilicet, & quatuor filiarum. Ex illis Henricus primogenitus antea patrem mortuus est. Secundo genitus Eduardus patri successit Anno M.CCCC.X. in prœlio ad Agnicourtium contra Anglos occisus, quum sex annos Comitatum administrasset. Reliqui tres eius fratres diuersis itidem prœlijs occubuerunt. Quibus omnibus exstinctis; Ducatus cessit Ludouico, tunc temporis Cabillonensi, postea Verdunensi Episcopo, ac demum S. R. E. Cardinali. Roberti maior natu filia nupta fuit Ioanni Regi Arragoniæ: secunda Duci Montium; tertia Marchioni Monferratensi: quarta Comiti S. Pauli. Eduardus diem obijt Anno M.CCCC.XVI. Ei, vti diximus, successit Cardinalis Ludouicus, qui spe suscipiendæ prolis destitutus Renatum Ludouici Andegauensis Siciliæ regis filium adoptauit, Anno M CCCC.XIIX. vtque contentiones quę hactenus inter Lotharingiæ & Barri Duces fuerant, sopiret, in matrimonium ipsi dari curauit Isabellam Lotharingicam, filiam Ducis Caroli II. Anno M.CCCC.XXIX. ex qua ille quatuor liberos suscepit, Ludouicum, Ioannem, Iolandam, & Margaritam. Princeps hic captus fuit in pugna ad Bullenouillam, Anno M.CCCC.XXXII. & Philippo Burgundiæ Duci traditus: a quo persoluto prius graui lytro, & filia sua natu maxima Antonij Valdemontij Comitis filio in matrimonium tradita, libertati simul & Ducatui est restitutus. Margaritā vero eius filiā Henricus Angliæ rex Anno M.CCCC.XLIV. vxorem duxit. Renato Ioannes Andegauensis successit. Vxorē habuit è Borboniorum stirpe. mortuus Barcinone Anno M.CCCC.LXX. relicto hærede filio Nicolao. Quo Anno M.CCCC.LXX.III, cælibe mortuo, Lotharingiæ Ducatus aliæque ei annexæ ditiones ad Iolandam Renati Andegauensis filiā, Comitis Valdimontij vxorē deuolutæ sunt, caussa matris Isabellæ quæ filia fuit Caroli Ducis, Anno M.CCCC.LXXX. supradictus rex Renatus Aquis in Prouincia extremum diē clausit, relicta filia Iolanda, quę titulo Reginæ Siciliæ, & Ducissæ Barrensis vsa, Barri humanis rebus exempta est, Anno M.CCCC.LXXX superstite filio Renato II. qui ibidem corporis exuuias deposuit. Anno M.IↃ.VIII. die X Decembris Renato successit Antonius filius, qui vxorem habuit è Borboniorum stirpe patri cognominem: vita functus Anno M.IↃ.XLIV. Hic filium habuit Franciscum: qui coniugio sibi sociata Christina Danorum regis filia, Anno M.IↃ.XLVI. vitam cum morte commutauit. Post hunc Carolus III. Frācisci filius vtrumque Ducatū Lotharingicum & Barrensem summa cum laude administrauit: titulū vero Barrensis Ducatus, ea quam supra diximus consuetudine Henricus eius filius, Catharinæ Borboniæ, Henrici IV. Galliæ regis sororis maritus, vsurpauit: quem vnà cum Serenissima familia Deus Ecclesiæ & Reipublicæ incolumem diu conseruet.


DESCRIPTION DE LA VILLE DE BAR FAICTE L'AN 1617
Insignia vrbis Barri et totius Ducatus.
A. Superior ciuitas.
B. Collegiata S. Petri Eccl:
C. Forum et Marcellum.
D. Vrbis Prætorium.
E. Porta lignaria.
F. Porta dicta lacimurica.
G. Arx.
H. S. Mariæ collegiata Eccle.
I. Ædes Rationariæ.
K. Via ad inferius oppidum
L. Collegium.
M. Burgum.
N. Hospitale Dei.
O. S. Antonij Commendat:
P. Stabula.
Q. Noua Ciuitas.
R. S. Claræ Conuentus.
S. Coenobium Augustinia:
T. Inter duos pontes.
V. Fluuius Oxnein.
X. Parochia B. Mar: et priorat
Y. Vlmetum.
Z. Canalis.
1. Via ducens ad S. Micha:
2. Hortus Prioratus
3. Porta Burgi.
4. Collegium capucinorū
5. Canal: eflu: per opp: deri:
6. Via Vitriacen: et Catalan
7. Platea de Ve'.
8. Porta Philippinæ ad arcem et inferius opp: ducēs
9. Fossa arcem ab opp: sepa:
10. Via ad S. Albinum et Tull
11. Horti voluptary.
12. Vetus murus Burgi et, in eius subiecta fossa hort
13. Vetus porta Burgi
14. Domus lusus palma
15. Promtuaria.
16. Carceres.
17. Hortus arcis.
18. Puteus arcis.


HAGA-COMITIS.

QVAMVIS municipium hoc muris cinctum non sit, nec inter Hollandiæ vrbes numeretur; omnibus tamen rebus quæ vrbem, vel faciunt vel exornant, paucis cedit, multas vero antecellit. Et vno quidem omnes, quod vniuersę prouinciæ Consilijs ac supremo Dicasterio domicilium præbet. Hic olim Hollandiæ ac Selandiæ Comites Regiam habuêre; huc subditi tamquam ad summum Iustitiæ tribunal confugerunt. Et loci quidem genium contemplanti, minus mirum videbitur Principes olim hic domicilium sibi potissimum delegisse, vt quo non modo in tota Hollandia, sed etiam vbicumque alibi vix quidquam amœnius inueniri possit. Situs hic pagus est quasi medius inter duas amplissimas ciuitates, Lugdunum ac Delphos, itinere tamen nonnihil ad Septemtriones deflexo, & ab hac quam ab illa propius distans. Qua Septemtriones spectat, ab Oceano mille circiter passus abest, vbi Scheueringa piscatorum pagus; vnde recentes quotidie pisces Hagam comportantur. Circa id litus incredibilis cuniculorum vis in arenarijs collibus quos *Duynen* vocant, stabulatur; gratæ mensarum delitiæ. Comitum Palatium satis amplum est, muro & fossis inclusum: Gulielmi Comitis, qui etiam Romanorum Rex fuit, opus. In eo præ cæteris conclauibus, admirationi est vnum spaciosissimum nullis innixum columnis, sed trabibus non valde crassis contignatum. Ligna ex quibus ædificium hoc constat, aiunt ex Hibernia vsque allata; in quibus nullæ aranearum telæ videntur, nulla caries, occultâ Naturæ vi, animaduertitur. Libri hic & merces omnis generis vænum expositæ cernuntur. Septemtrionalis palatij latus stagnum claudit seu viuarium (ita enim etiam vulgo appellatur) cui quam late se protendit, colliculus leniter decliuis imminet, vmbrosis arboribus consitus; sub quibus æstiuo tempore amœnissima est deambulatio, etiam sessio, paratis in eum vsum passim sedilibus. Tergo colliculi imposita est longa magnificarum ędium serie, in quibus magnates fere & Senatores habitant. Porta Occidenti obuersa exeuntibus ad dexteram vetus, sed magnifica structura occurrit, cum turri noua superimposita: Mauritij Nassouij iam domicilium. Egressis inde & ad Aquilonarem plagam deflectentibus vbi aream quandam lapidibus stratam, & ad eius frontem locum maleficorum supplicijs destinatum prætereris, via lata sese offert, tilijs vtrimq; consita, vtroque late ædificijs referto, arcus in modum ad Orientale palatij latus, vbi viridaria sunt sagittariorum ac iaculatorum exercitijs destinata, se reflectens. Hoc arboretū nemusculo pretentum est, quod Orientem versus, qua Lugdunū itur, ad mille & quingentos circiter passus in longitudinem patet. In eo quercus, fagi, alni: tum herbæ variæ, & ad medicinam expetitæ. Flores insuper tam aspectu quam odore iucundi, vt lilium conuallium, sigillum Salomonis, anemone, euphragia; quæque alia magna cura plantantur, hic sponte Naturæ proueniunt: vt ad voluptatem à Natura ipsa factus hic locus videatur. Hinc, ęstiuo præsertim tempore non interdiu modo, sed etiam noctu frequentes ibi videas deambulantium, pæne dixerim, greges: in quibus etiam Magnates ac Consiliarij, qui publicarum rerum cura animum defatigatū hic recreant. Pagus ipse ædificiorum frequentia mediocres vrbes æquat, ambitu etiam vincit. Latitudinem eius ab Austro ad Septemtrionalis finem lateris semihoræ spacio vix emetiaris: Nec minori spacio longitudo patet. Templum ibi perelegans, iuxtaque Curia & forum. Aedes pleræque omnes nequaquam rusticanum quid præferunt; intus pręcipue vrbana munditie politæ. Horti vndique & prata circumiecta. Vtrum vtilis foret huius loci munitio, iam olim inter Ordines disceptatum. Superiori sæculo, quum Martinus Rossemus Geldrici exercitus dux pagū hunc diripuisset, Magnates plerique ac ditiores ciues, quà cuique commodum erat aufugerunt, relictis hostium libidini fortunis. Cladem hanc quibusdam loci, hostium incursioni semper patentis infirmitati imputantibus, alij hoc ipsum magnæ regionis parti & ipsi quoq; pago saluti fuisse dicebant. Neque enim dubium esse, quin Geldri locum vel munitum aggressuri fuerint: quo capto (id quod tum non difficile illis fuerat) quis dubitet, quin magno imposito præsidio, agrum omnem vicinum deprædaturi, prædamque omnem eo congesturi atque ita belli ibi sedem fixuri fuerint? His forte eadem mens ac sententia quæ rustico illi, qui quum aduentantibus militibus, è pręਦio suo sese aliò in tutum subduxisset, post exactum triduum seruis nunciantibus, male cum ipsius fortunis agi, quod milites omnia domestica supellectilia confringere, ac pæne ipsas ædes demoliri inciperent, læto animo nuncium accipiens. Eia, inquit, bene nunciatis. Iam enim animaduerto, commorari illos tantum apud nos, non habitare velle; iamque prope esse vt discedant. Innuebat scilicet, satius esse semel quam semper expilari. Ante qaudraginta tamen circiter annos Haga muniri cœperat. Sed conatus hic postea nescio quam ob caussam fuit intermissus.


HAGAE COMITIS
celeberrimi totius EV:
ROPAE municipij
typus.
Namen der voorneemster Plaetson Kerken Houen en Huysen.
1. t'Hoff van syn genade Graeff Henderick
2. Den Lusthoff van syn gen: Graeff Henderick
3. t'Raethuys
4. S. Jacobs Kerck
5. Groenmarckt
6. De Vißmarckt
7. Turfmarckt
8. t' Corenhuys
9. Den Doelen
10. Den Graeflycheyts Tuyn
11. t'Reyger nest
12. t'Arteleryhuys
13. t Huys t'Egmont
14. t' Gasthuys
15. t'Oude Mannen en Vrouwen Huys
16. t' Vlees huys
17. De Engelsche Kerck
18. De Delfsche vaert
De Nieuwe ge: grauene Gracht
De Malibaen
t'Voorhout
De Plaets
De Vyverberg
De Merckt
t'Buyten Hoff
t'Hoff
De Nieuwe Burkey

AMSTELODAMVM.

EMPORIO huic non Batauiæ modò, sed totius etiam Europæ celeberrimo nomen ab Amstelo amne & aggere, quem Belgæ *Damm* vocant, inditum, extra controuersiam est. Ab eodem fluuio Amstelia quoque nobilissima olim & latè imperans familia nomen traxit: è qua ortus Gisbertus, Equestri dignitate ac multis opibus florens, opidum hoc, quod pagus antè fuerat, ante annos CCLXX. plus minus, portis, pontibus sublicijs, propugnaculis ac turribus muniri fecerat: in quo postea eius ob conspirationem & cædem in Florentio Batauiæ Comite perpetratam profugi filius Arnoldus & coniux obsessi, ac dedere se coacti, tam oppidi huius possessione quàm toto ferè patrimonio multati sunt. Inde sub Comitum imperio Amstelodamum tam frequentia quàm opulentia ciuium mirum in modum creuit; donec prolatis aliquoties, & quidem nuper etiam pomœrijs, ad eam, quam nunc non sine admiratione videmus, magnitudinem peruenit: vt hanc vrbem in Venere illa Anadyomene, salsis è fluctibus os exserente, comasque explicante, designare voluisse Apelles videatur. Sita verò est in intimis Batauici sinus faucibus, ad Amstelum, quem diximus, fluuium, qui mediam interluit, aggeribus atque emissarijs passim opportunè ductis, quæ sordium colluuiem reciproco maris æstu exonerant, aquarum, silente aut plena luna vel tempestate, augescentium aditum excludunt, & nauibus tutissimum receptum præbent. Solum admodum palustre est minimeque firmum: quæ caussa est cur ædificiorum fundamenta incredibili sumptu iaciantur, adactis per fistucas palis & magnis arboribus, aut substrata materia per sublicas connexa, putanturque fundamentorum impensæ totius reliquæ structuræ sumptus æquare, ne dicam excedere. Tam loci natura quàm operibus vrbs est munitissima. Præterquam enim quòd aquis tam palustribus quàm fluentibus ac profundis fossis vndique cingitur, vallum habet præaltum, & duodecim amplissimis propugnaculis sibi inuicem ad ictus certiùs collineandos aptissimè correspondentibus, distinctum. Qua parte Sinu Australi (vulgò *Suderzee*) alluitur, ab ortu ad occasum, quàm latè patet vrbis latitudo, incredibili labore ac sumptu duplex sepes è longurijs in aquam adactis ducta visitur, intra quam plus quàm mille magnæ naues (vt de mediocribus & paruis, quarum infinitus ferè est numerus, nihil dicam) tutam habent stationem. Ad publica ædificia quod attinet, præter duo pulcerrima templa, quæ noui & vetusti appellatione distinguuntur, etiam tertium nuper de nouo planè exstructum est, non procul à porta Antoniana. Curia magnifica admodum est, in Aggere (Dammum vernaculè vocant) posita. Nec procul inde domus libraria, in qua omniũ mercium, quæ quidem appendi solent, pondera examinantur: vnde communi ærario immensus, & alijs sanè locis incredibilis infertur prouentus. Ad ipsum Aggerem nouum spectatur opus seu ædificium Xysto quadrato, cum area subdiali in medio, inclusum, & mercatorum aliorumque quorumuis quotidianis conuentibus ac deambulationibus destinatum. Est & alia domus perquam ampla & splendida, Principis aula vulgò dicta, eò quòd in ea tam Mauritius quàm alij viri Principes, si eò fortè venerint, excipiantur. In hac etiam maritimarum rerum Senatus (Collegium Admiralitatis vocant) haberi, deque omnibus rebus ad nauigationem & maritima commercia spectantibus consultari solet. In platea, quæ vulgò *Alta* nomen habet, ingens quoque est ædificium, in quo tanquam penu seu horreo merces ex Orientali aduectæ India, aromata inprimis conduntur, omniaque ad nauigationem necessaria armamenta atque instrumenta, vti & pecuniæ ingens vis, asseruantur. Sed tam vtilitate quàm admirabili disciplina inprimis ædes illæ commendantur, quibus homines nihili, iuuenes præsertim prodigi, temerarij, feroces, immorigeri, quique alij frugi esse nolũt, inclusi ita compescuntur, vt nõ modò nihil mali facere possint, verùm etiam velint nolint, boni quid facere, & labore victum sibi parare cogantur. Frontispicio ædium, sub vrbis insignibus, insculpta pictura tam præclari instituti finem satis testatur. Videre enim ibi est depictum currum Brasiliano ligno & graui ferra onustum, aurigã quatuor leones, aprum, lupum (quibus vitia iuuentutis ferè communia denotantur) velut equos currui iunctos, flagro impellente. Inferiùs sequentia verba descripta sunt: *Virtutis est domare quæ cuncti pauent.* Alijs in ædibus alterius sexus carcinomata sanantur: vbi fœminæ solutioris vitæ pensum absoluere quotidie coguntur, & non secùs quàm Vestales quædam pudicæ asseruãtur. Quid ego Pædotrophia, Nosocomia, Xenodochia, Gerontotrophia vtriusque sexus, Furiosorum ergastula, aliaque id genus pietatis velut Asceteria commemorem? Non inuiti sanè fatebuntur omnes, quotquot vrbem hanc viderunt, tam concinnè, tam prudenter in ijs omnia esse disposita, vt non facilè alibi vix quicquam simile reperias. De priuatorum opibus nihil attinet dicere: quas vnusquisque è tam ampla ac quæstuosa negociatione facilè æstimabit. Tantæ certè sunt, vt nulla re magis quàm nimijs opibus Amstelodamum laborare videatur. Hæc est, quam iure non Belgica modò, sed & Italia aliæque regiones (facto semel atque iterum, malignioribus præsertim annis, rei periculo) cellam penuariam (vti de Sicilia Cato ille sapiens olim iudicauit) atque horreum suum agnoscat & vocet. Hic contubernij necessitudo nationibus omnibus ex æquo patet: vt de ea dici possit, habere hospitalitatis ianuã numquam cuiquam obseratam. Hic enim videas diuersari Italos, Hispanos, Lusitanos, Britannos, Scotos, Gallos, Sarmatas, Danos, Suecos, Noruegos, Cimbros, Liuonos; quin etiam Turcas, Arabas, Iudæos, quicumq; Mercurio illi Lucrioni velut sacra faciunt: qui virga sua mercatorum animos regit ac moderatur; hos ad præsentis emolumenti & exspectati fœnoris vitam ab orco reuocans, illos per iacturam, & è malis nominibus dispendia, perque æs alienum ad tartara demittens. Obstupescat sanè necesse est, quisquis viderit tot tantasque classes onerariarum ex omnibus Orbis partibus appulsas. Sed multò magis illud mirandum est, quòd intra septimanæ spacium exoneratæ, mox ad nouum iter omnes instructæ apparent. Insignia huius vrbis sunt tres Cruces perpendiculariter vna alteri suppositæ, in campo nigro: quibus corona imperatoria imposita cernitur. Aiunt eo priuilegio vrbem ab Imperatore Maximiliano I. donatam, quum ciues ei magnam pecuniæ vim honorarij nomine obtulissent. Iidem pecuniæ beneficio à Principibus impetrarunt, ne vel arx vel præsidium præter eorum voluntatem ciuitati imponeretur: tum vt Prætoris seu Præfecti Iuridici, qui à Principibus antea dabatur, constituendi ipsi ciuitati ius esset. Quo tempore Anabaptistæ in VVestphalia omnia miscuerunt, & Monasterium primariam vrbem occuparunt, perditissimi homines ab eis submissi, Amstelodamum, nocturnis habitis conuentibus, ac multis nefarijs perpetratis rebus (adeò vt nudi quoque vtriusque sexus homines interdiu discurrerint) in non leue periculum coniecerunt, arreptis etiam armis: sed multis cæsis ac profligatis reliqui in Frisiam inde atque aliò sese receperunt: cuius rei historia etiamnum in Curia depicta visitur. Plura ac fortasse non minùs memoranda de hac vrbe dici possent; sed quia exacta eius descriptio integro libro comprehensa exstat, finem facio, curiosum Lectorem eò remittens.


AMSTELODAMVM
In quo ædes sacræ, Curia Hospitalia, cum vicis et Burchvallis omniumque interfluentium alueis, accuratè omnia delineantur, additis extensionis nouæ limitibus
Puncta veterem denotant ciuitatem; reliqua pars noua est.
Amstel fluuius
S. Anthonis dijck
Reguliers hoff
Reguliers poort
Tobias pad
Appelmans pad
Margriete pad
Carthusers pad
Ian harsten pad
Schouten pad
Pottebackers pad
Pannebackers pad
P. Lempers pad
2 Pannebackers pad
Corteins pad
Lijnbaen
Lijnbaen pad
Nieuwen Laken pad
Cruys pad
Tuyn pad
Spaensch leger
Carthusers
Niew Haerlemmer poort
Harlemmer dijck
De Wael
Camper hooft
Rapenburg
Admiraels
Het Nieuwe raam pad
t' Brabants pad
t' Molen pad
Den Heijlighen Wegh
Heijlighe wegh poorte
De Volderij
Molen pad
Het wandel pad
S. Jacobs pad
S. Pieters pad
t' Heere pad
Bennings pad
Wilden pad
De Doelen
Amsterdams huys
De Dam
Nieuwe kerck
Oude kerck
Harlemmer poort
FLVVIVS

OSTENDA.

OSTENDA oppidum est Flandriæ maritimum, tribus milliaribus Neoporto, & quatuor horarum itinere Brugis distãs. Pagus primùm fuit, piscatoribus habitatus; sed initio belli ciuilis per quadraginta ferè annos in Belgio gesti, ab Ordinibus, loci sequutis opportunitatem, leuibus primùm, è palis scilicet & longurijs, deinde firmis operibus & vallo muniri cœpit. Fluuio alluitur, Ipperlea nomine: qui vbi in mare exit, sinum facit & portum recipiendis nauibus idoneum. Oppidum ipsum satis amplum est, quippe cuius mœnia vix horæ spacio circuiri possunt. Incolis tam frequens olim fuit, vt ad tria ciuium millia numerarentur: qui quum primùm obsideri cœpit oppidum, ad ducentos circiter & quinquaginta erant redacti. Sæpè à multis frustra tentatum est: & ab Alexandro Farnesio Duce Parmensi (cuius tamen virtuti & singulari felicitati penè omnia procliuia fuerunt) & à Lamotta Greuelingæ Præfecto: quorum hic quum veterem iam ciuitatem occupasset (quæ pars est oppidi, litori proxima) inde rursus non sine suorum strage est eiectus. Sed postea quum Serenissimus Archidux Albertus Caletum primùm Gallis, deinde Hulstam Batauis eripuisset, mirum in modum munitiones eius creuerunt. Nam duplici vallo & duplici fossa vndique tum munitum erat, ea altitudine & profunditate, vt non facilè superari possint, si vel à mediocri propugnatorum numero defendantur. Quâ mare spectat, nudantibus se æstu recedente arenis, aditum habet faciliorem, eoque infirmius ibi aliquantò est: sed paucarum horarum id periculum est, & idem, æstu rursus, vt statis horis semper fieri amat, oppugnantibus maximè formidabile. Portus ad occidentem æstiuum se porrigit, non altus quidem ille, aut magnæ classis capax, tutus tamen. Præter hunc fluctus marini in terram irrumpentes canalem oblongum fecerunt, à forma Faucium (*Geule* vulgò) appellatum, vltra viginti passus latum, & profunditate vel magnorum nauigiorum patientem: per quem ceu perennem fluuium naues ad extremum vsque obsidionis exire atque ingredi solebant. Portus hic vniuersus tantò opportunior est, quantò breuior inde in Selandicas insulas, Bataujam, Galliam & Angliam est traiectus. Hunc cum oppido Ordines Belgij Anglorum Reginæ, vnà cum Flissinga, Briela, & Seburgo seu Rameken arce, hypothecæ nomine olim tradiderant; eaque semper è suis Præfectum eò misit cum valido Anglorum & Belgarum præsidio: quod postea, Flandria ad obedientiam Regis reuersa, vicina omnia longè lateque infestis excursionibus assiduè vexauit, & immania tributa non pagis modò & villis, sed oppidis quoque nonnullis extorsit. Quocirca Flandri sæpè multis precibus apud Archiducem institerunt, vt spinam hanc è pede Flandrici Leonis euelleret, promissa ad obsidionem magna vi pecuniarum. Primò ergo multa castella oppido circumposita, inque eis, ad cohibendas oppidanorum excursiones magna præsidia collocata sunt: quorum sustentationem nonnulli nonagies millenis aureis in singulos menses constitisse aiunt. Sed quum ne sic quidem Flandriam satis tutam esse animaduersum esset ex ea expeditione, & quod hanc sequutum est, cruento prœlio ad Neoportum commisso (neque enim in Flandriam Mauritium, nisi Ostendam habuisset, vnquam tum descensurum fuisse credibile est, in qua, si quid aduersi accidisset, spes ei omnis erat) Archidux habitò cum suis consilio, summis id oppidum viribus oppugnare decreuit. Sic ergo obsidionis initium die XXV. Iulij, Anno M.DCI. factum, & primis ferè diebus veteris portus vsus obsessis penè inutilis fuit redditus: sed illi continuis laboribus & nouum sibi portum aperuerunt, & aggerum perforatione obsidentes summouerunt. Ad huius obsidionis famam Angla & Ordines Belgij Confœderati præsidium ad eum auxère numerum, vt iusti exercitus speciem haberet (ad octo millia fuisse dicuntur) tum omnia ad obsidionem tolerandam necessaria, præter magnam vim commeatuum, tormenta, currus, ligones, palos, marras, secures, malleolos, quæque alia sunt instrumenta militaria, necnon infinitam quasi variæ materię, ligneæ præsertim, vim eò comportari iusserunt. Quâ inde alacritate, qua pertinacia vtrimque pugnatum sit, commemorare hoc loco nihil attinet, quum ea omnia in historijs fusè descripta exstent. Illud certè omnes fatentur, nullo tempore, nullo loco, quamdiu bellum hoc in Belgio durauit, vel plures machinas ad oppugnandum ac defendendum excogitatas, vel plus laboris in exstruendis munitionibus, & tam agendis quàm subruendis cuniculis insumptum; vel plus nitrati pulueris in displodendis vtrimque tormentis perditum; vel plus denique humani sanguinis effusum. Quum initio lentè procederet oppugnatio, Ambrosius Spinola tandem castris Præfectus, aliam oppugnandi rationem instituit, quæ tamen & ipsa, ob summam obsessorum alacritatem ac pertinaciã, adeò erat difficilis, vt pedetentim quasi summouere eos, & coarctare oportuerit, donec tandem XX. Septembris, Anno M.DCIV. post integrum scilicet & eo amplius triennium, quod restabat oppidi (faciem namque vrbis penè omnem amiserat) deditum fuit; & paullatim deinde restauratum.



OSTENDA


DILLENBERGA.

VLTRA Lonam fluuium regiuncula quædam, Nassouici Comitatus pars, præcelsis vndiquaque montibus aspera, iacet, à Dilla fluuiolo nomen sortita. Ex vna Hercyniæ syluæ parte, quã *VVesterwald* nostrates vocant, & Comitatu VVesterburgensi includitur; ex altera Ducatum Bergensem, Diœcesim Coloniensem, Comitatũ VVitgetænensem, & Hassiæ Principatum, qui ad Lonam dicitur, habet finitimos. Duobus irrigatur fluuijs, Dilla, quam diximus, & Sigena. A Dilla præterfluente arx Dillenberga, vti & tota vallis, quam amnis hic percurrit, nomen habet. Et arcis quidem structura aspectu magnifica satis est, opere firma & vsu atque ædificiorum distinctione percommoda, muro, vallo, & fossis egregiè munita. Monti, vel colli potiùs insidet, qui auersa à subiecto pago parte cum planitie ferè æquatur. Amnis quum alijs piscibus, tum truttis optimis abundat, vt & cæteri riui, quibus Comitatus ille totus irrigatur: vt nonnulli Nassouiæ etymon, Teutonica originatione, ab humido agro deriuent. Est hæc Nassouiæ Comitum præcipua sedes & domiciliũ: quorum stirps hodie in plures velut ramos diducta est: Singulæ verò familiæ à præcipuis suis oppidis seu arcibus nomen habent: quæ quidem sunt, VVisbada & Idtstænum, VVeilburgũ, Sarbrugga, & quam diximus, Dillenberga. Comites hi, ac præcipuè Dillenbergenses, quum olim, tum nostro tempore militari laude & rerum gestarum gloria excelluerunt, magnas etiam dignitates gesserunt, & præter hoc suum patrimonium, amplissimas in Gallijs, Burgundia & Belgio possessiones tenuerunt, & partim etiamnum tenent.

SIGENA.


EIVSDEM Comitatus oppidum Sigena est, à præterlabente flumine nomen adepta, quod hîc lapideo ponte iũgitur. Oppidum est non ita amplum, colli quà fluuium spectat, leniter decliui impositum, in cuius fastigio arx iacet, Comitũm vsibus destinata. Muro vndique & crebris turribus includitur; quamuis contra magnam vim parum firmis. Vicini montes ferri scatent venis; quod effossum & conflatum ad exteros cum magno incolarum lucro exportatur. Et quamuis exoticæ ac transmarinæ deliciæ hic raræ sint, ipse tamen ager, quæ ad vitam necessaria suppeditat: vt ob victus commoditatem ac loci genium superioribus annis Nassouij Comites Scholam & Typographiam Herborna huc transtulerint: quæ tamen nescio quam ob caussam in pristinum redierunt locum. Hodie verò laudabili instituto Ioannes Nassouiæ Comes Martis Scholam hic aperuit, in qua Nobilis iuuentus tam pedestris quàm equestris militiæ, aliarumq; bonarum artium exercitijs imbueretur.


DILLENBVRGVM NASSOVIAE COMITVM ARX ET NATALE SOLVM
DILLENBVRG.


SEGEN.
Castrum
Ecclesia Parrochialis
Coenobiu
S. Martini Eccl.
SEGA
FLV.
SEGENA Famosum comitat. Nassouiae Opp.

BVDINGA.

HERCYNIAE in Germania syluæ etiam apud vetustos Scriptores crebra & celebris est mentio; cuius longitudinem sexaginta, latitudinem nouem dierum iter vel expedito patere, & Cæsar & alij testantur. Olim certè penè totam Germaniam occupauit : eamque caussam esse verisimile est, quòd olim Germania pro aspera, syluestri & quasi inculta ac deserta regione sit habita, occurrentibus vbique vastæ huius syluæ solitudinibus: cuius hodie paucæ supersunt reliquiæ, eæque habitationibus, pagis, oppidis & Monasterijs mirum in modum refertæ, densissimis syluis ac nemoribus in agros tam pascuos quàm frugum omnis generis feraces, pomaria ac vineta, hominum industria ac labore commutatis. Vel solam Budingam quis aspiciat: cuius ager omnis illa Hercyniæ syluæ parte, quæ Spessart nũc appellatur, comprehensus, syluis dumisque olim obsitus, nunc & mira amœnitate ridet, & è beato suo gremio almam omnis generis frugum copiam, & inprimis læta Bacchi fluenta profundit; quamuis non spontè: vt hîc quoque verum sit, quod vulgò dici solet, Deum hominibus dona sua prò labore vendere. Est verò Budinga Franconiæ finitimum oppidum, non procul à Bintzio amne, qui Hanouiam præterlapsus, ad Hustam Moguntinensis Diœcesis oppidum Mœno commiscetur, situm, Isenburgici Comitatus caput. Arcem habet magnificam, in qua Comites plerumque diuersari solent. Ager circumiectus partim in vitiferos assurgit colles, partim hortis ac pomarijs est consitus, partim pascendis pecoribus opportunus: vt nihil hîc vel ad vsum, vel ad voluptatem meritò desiderari possit. Quod aliàs in vniuersum de Franconia prædicari solet, de hoc quoque agro verum est, nullibi ferè cæpas, rapa, brassicas capitatas, cæterosque id genus fructus maiores, ac meliores produci. Incolæ eodem vitæ instituto, ijsdem vtuntur moribus, quibus Franconiæ cultores. De quibus Ioannes Aubanus sic habet: Gẽs ipsa laboris patientissima. Vinum quod colligit, ob domesticam egestatem vulgò vendit, ipsa aquam bibit. Cereuisiam contemnit, nec facilè ad se deferri permittit. Insolens est superbaque, multaque sibi arrogans, multum præsumens: alias nationes contemnit, cauillisque adeò plerumque prosequitur, vt qui cum ea morantur, patriam suam non dicant. eos qui hæc patienter ferunt, facilè secum morari patitur, & veluti per hoc approbatos, coniugijs admittit. vnde multi Sueui, multi Bauari Hassique passim hîc habitant. Ad Dei insuper cultum propensa est, &c. Hæc ille.


BVDINGEN.
VNICVIQVE DEDIT DOMI-
NVS SVA MVNERA TERRAE.
A°. M.IↃC.XVII.

SCOPA.


QVAMVIS Miſnia regio quum ſoli fertilitate, tum ſalubritate aëris inprimis commendetur, eoque multis opulentiſſimis ciuitatibus & pagis ferè innumeris exornata ſit: certum tamen eſt non tam extimis ſoli fructibus, quàm intimis telluris viſceribus maiorem diuitiarum, quibus regio hæc præ alijs affluit, partem deberi. Olim quidem vniuerſo illo tractu, vbi Miſnia à Bohemiæ regno partim aſperis montibus, partim denſis nemoribus diſterminatur, nihil fuit incultius: at poſtquam hominum auaritia terræ foris ſterilis viſcera rimari cœpit, & incredibiles in eis reperit diuitias, certatim accurrente velut ad prædam hominum multitudine, nouis condendis ciuitatibus loca deſignata, ex villis pagi, ex pagis oppida facta ſunt. Inter hæc maximè recens, nec minùs tamen excellens eſt, quod Annæberga vulgò dicitur, vt quod demum Anno M.D.III. muro cingi cœperit: breui verò ob ditiſſimos metallicarum venarum prouentus adeò excreuit, vt inter celebriores ciuitates meritò haberi poſſit. Non procul inde Scopa fluuiolus è Bohemicis ortus montibus, poſtquam ad duo circiter milliaria inceſſit, cognominem ſibi ciuitatem præterit, quam Schoepen Germanorum vulgus vocat. Arx in ea, qua fluuium deſpicit, colliculo impoſita cernitur, elegante turri oppidum verſus inſtructa. Ager tam ſerendis frugibus, quàm paſcēdis pecoribus idoneus, incolis victum; diuitias cum propinquis metallicis officinis commercia ſuppeditant. Equidem facere hic non poſſum, quum de ijs, quæ ad ciuitatis huius exactiorem pertinent deſcriptionem, nihil præterea certi habeam, quin hoc loco, quod magna cum admiratione apud Scriptorem fide dignum legi, apponam. Ait igitur ille, ex publicis conſtare rationibus, è ſola illa argenti fodina, quæ Schneeburg, id eſt, Niualis mons dicitur, ab Anno M.CCCC.LXXI. & quidem eo die, qui S. Dorotheæ ſacer eſt, vſque ad annum M.D.L. operis ac partem habentibus ceſſiſſe centum viginti tres mille trecentas quinquaginta quinque (123355.) Tonnas auri, vt vocant: in Principum verò fiſcum decimarum nomine illatas bis mille quingentas quinquaginta nouem (2559) auri Tonnas, ac tantundem ferè mallei nomine, vti iura & conſuetudines habent. Eant nunc, qui Germaniam metallorum ſterilem eſſe aſſerere non dubitarũt. Credo equidem, ſi Tacitus, ceteroqui Germanicarũ rerum non malus nec indiligens ſcriptor, reuiuiſceret, non modò calumniam hanc lubenter deleturum, verùm etiam Germaniæ in hoc dotis ſeu felicitatis genere (ſi modò felicitas dicenda eſt, quæ tot infelicitatibus, vt ita dicam, non ſua quidem, ſed hominum culpa anſam præbet) inter Europæ regiones facilè primas tributurum.


SCOPA vulgo SCHVEPA
Elegans Misniæ ciuitas.
Septentrio
A. Schloss.
B. Pfarkhirch.
C. Der weh auf Leibzih.
D. Der weh auf Praag.
E. Scop flu.
F. Augustusburg.
A°. 1617.
Communicauit Georg. Houfnag. depict. a filio Iacobo.

BAMBERGA.

QVÆ Bamberga vulgo appellatur, Franconiæ ad Regnitium amnem ciuitas, vnanimi Historicorum consensu *Baba-berga*, seu *Mons Baba*, dicenda est, à Baba, Othonis Saxoniæ Ducis filia, Alberti Bambergensis Comitis coniuge. Pauonis montem alij dictam volunt; sed quia originationis nullam causam adferunt, penes ipsos sit fides. Anno post Christum natum M. VI. Reinholdo vltimo horũ Comitum sine liberis defuncto, ciuitas hæc cum toto Comitatu sub Imperij ditionem concessit: sed non multo post à S. Henrico Imperatore & Cunegunda eius vxore Episcopatus ibi fuit institutus: qui exædificata Cathedrali Ecclesia, Benedictum VIII. Pontificem, vt eam ipse præsens consecrare vellet, rogauit. Et annuit quidem Pontifex, ea tamen conditione, vt quotannis Romanæ Sedi centum argenti Marcæ, vnà cũ equo instructo, ab Episcopo penderentur. Munsterus scribit tributum hoc postea Beneuentani opidi in Italia donatione ab Imperatore redemtum. Imperator quum Pontificem in via esse accepisset, vnà cum coniuge & Imperij Statuum delegatis Bambergam se cõtulit, eòdem Adelheidi Quedlinburgensi, & Sophia Gandershemensi Abbatissis è Saxonia euocatis. Septuaginta duos Episcopos tum ibi conuenisse, Cuspinianus testatur. Venientem Pontificem Imperator, Principes ac ciuitatum Legati magnifice ac reuerẽter exceperunt; omnibusque ceremonijs quibus ille tam Cathedralem Ecclesiam quã Benedictinum cœnobium consecrauit, interfuerunt. Id factum anno M. XIX. vt alij volunt, M. XX. Inde Pontifex Fuldam quoque, cuius visendæ studio flagrabat, ab Ipso Imperatore fuit perductus.

Bambergensi ciuitati mons imminet præcelsus, cui arx imposita est tam loci genio quam operibus admodum munita, Comitum olim sedes. Quorum stirpe exstincta, vti supra diximus, Comitatus ille in Cathedralem Ecclesiam est commutatus. Inter ditissimos Episcopatus non postremum hic locum habet, vt cuius ditio ad ipsam quoque Carinthiam & Istriam extendatur. Tanta vero dignitate est, vt etiam ipsos Electores pro beneficiarijs seu vasallis habeat: nec vlli Metropolitæ vel Archiepiscopo subest. Vrbs ipsa, quod olim muris cincta non esset, inter pagos Imperij numeratur. Tanta hic est cœli ac soli felicitas, vt nihil vel ad vsum vel ad voluptatem desit. Certe vix vllibi in Germania maior croci est prouentus. Melonum, peponum aliorumq; eiusmodi fructuum qui mitius amant cœlum, nullibi maior abundantia. Vt de glycyrrhiza nihil dicam: quæ plaustris hinc ad alias Germaniæ ciuitates exportatur. In Cathedrali templo S. Henrici Imperatoris, & Cunegundis eius coniugis sepulcra visuntur: quorum pręcipua fuit in hanc Ecclesiam munificentia. Comitia hic totius Imperij non semel habita: hicque Philippus Romanorum Rex ab Othone Palatino VVietlispacensi interfectus. Anno M. CCCC. XXX. Bohemi Hussitæ tantum metum vniuersæ Franconiæ incusserant, vt ne bello vexarentur, Bamberga duodecim, Marchio Brandenburgicus nouem, Bauariæ Dux Ioannes octo, ciuitas Norimbergensis duodecim aureorum millia vltrò eis numerarint. Bello vero Smalcaldico Anno M.D.LII. tantis iniurijs ac cladibus ab Alberto Marchione Brandeburgico affecta est, vt vix vmquam ad pristinum splendorem peruentura videretur: quem tamen iamdiu recuperauit.


BAMBERGÆ
Epiſcopalis in Franconiæ
vrbis celeberrimæ typus,
ad viuum quaſi efformatus.
Iohannes Philippus Dei Grat. Eps Bambergenſis.
Glycyrriza
Keysers hof
A. Templum Cathedrale.
B. Cœnobium S. Michaelis vulgo Munhsberg.
C. Collegium S. Stephani.
D. Collegium S. Iacobi.
E. Collegium S. Gangolfi.
F. Parochia S. Martini.
G. Parochia B. Mariæ.
H. Cœnobium Carmelitarum S. Theodori.
I. Cœnobium Dominicanorum.
K. Cœnobium Franciſcanorum
L. Cœnobium S. Claræ.
M. Cœnobium ad S. Sepulcrum.
N. Collegium
O. Hoſpitale S. Catharinæ.
P. Hoſpitale S. Eliſabethæ.
Q. S. Gereonis.
R. Ædes B. Mariæ alias Sacellum Iudæorum.
T. S. Gertrudis.
V. S. Leonhardi.
W. S. Ioannis.
X. S. Materni.
Y. S. Ægidij.
Z. S. Nicolai.
a. S. Magdalenæ.
b. S. Sebaſtiani.
1. Aula vetus.
2. Aula noua.
3. Aula Principis.
4. Domus Præpoſiti.
5. Domus Decani.
6. Aldenburgum.
7. Prætorium nouum.
8. Vetus Prætorium.
9. Aula ciuium.
10. Noſocomium S. Antonij.
11. S. Magdalenæ.
12. S. Marthæ.
13. Noſocomiũ. Gall: morb: laborant:
14. Noſocomium B. Virginis.

HAILBRVNNA.

CIVITATEM hanc aliqui Heltbrunnam, quasi *Heroum fontem*; alij Hailbrunnam, id est, *salutarem fontem* appellant. Sed posterius nomen magis videtur verisimile: quum constet tam iucundas, quàm salubres potu aquas vel fontes passim hic scatere. E pago ciuitas facta est Anno, vt quidam volunt, M. LXXXII. vel vt alij censent, circa annum M.CC.LXXXV. imperante Friderico II. à quo inter liberas Imperij ciuitates cooptata fuit, inter quas etiamnum censetur. Sita est in Ducatu VVirtembergico, ad Nicrum fluuium, agrò omnium rerum, quæ ad vitæ necessitates pertinent, vini inprimis ac frumenti, admodum ferace. Aedificia tam publica quàm priuata habet elegantia, plateas mundas, forum spaciosum, Curiam splendidam, cum nitidissimo & artificioso horologio, solis ac lunæ meatus, ad instar Argentoratensis illius, repræsentante. Opulentum hic fuit Carmelitarum cœnobium, è peregrinantium eleemosynis olim constructum. Hic enim ad fossam ciuitatis ex arbusto quodam ligneam B. Virginis Mariæ statuam siue imaginem cum rustica iter illac faciente sermocinatam, eamque imaginem multis deinde miraculis claruisse; deinde magnam hominum frequentiam ad locum illum religionis ergò concurrisse ferunt. Durauit hæc hominum deuotio ad annū M. D.XXV. quo seditiosi rustici & ipsum oppidum ceperunt, & Monasterium cum templo diruerunt atque euerterunt. Anno quoque M.CCC.LXXXVIII. ciuitas hæc à nonnullis Imperij Principibus obsessa, capta ac direpta fuit, saluis Ecclesiasticorum fortunis. Sed hoste vix digresso, ciues ipsi Ecclesiasticorum bona quoque diripuerunt. Anno M.CCCC.VIII. Sueuiæ Nobilitas solennem hic Equestrem lusum, vel potiùs lustrationem (Torneamētum vulgò appellant) celebrauit, cui multi Principes, Comites ac Barones, præter magnum Nobilium numerum, interfuerunt.


REVTLINGA.


VIcina Hailbrunnæ Reutlinga, & in medio ferè eiusdem Ducatus, ad eundem fluuium sita, circa idem ferè tempus, eiusdem Imperatoris beneficio, ciuitatis ius (nam & ipsa pagus antè fuerat, adepta legitur. Posita est loco ad omnes res peropportuno, maximè ob duorum fluuiorum vicinitatem, Nicri & Echetzij, quibus quam plurimæ ad varios vsus molæ sunt impositæ, in primis ad papyrum conficiendam, cuius magna vis inde aliò asportatur. Non paucas quoque officinas habet ferrarias, optimis ferramentis cudendis nobiles: vt Reutlingenses gladij passim in prouerbio sint. Asylum hic quoque est, insignibus, & quorum similia vix alibi reperias, priuilegijs donatum. Tā publica quàm priuata ædificia mediocrem præseferunt ornatum. Ciues humani sunt; sed animosi & libertatis amantes, quam non semel periclitatam, contra omnem vim sartam tectam ad posteros transmiserunt. Anno M. CC. XLVII. in ipso sui exordio ab Henrico Friderici Secundi filio obsessa, sed diuino Beatæ Virginis beneficio liberata ciuitate, ciues sacellum ex voto exstruxerunt, atque Deiparæ Virgini consecrarunt. Cum VVirtembergicis Comitibus funestæ eis sæpe fuêre contentiones: in quibus licèt grauissima interdum damna acceperint, sociarum tamen ciuitatum adiuti auxilijs, non modò libertatem ad extremum vsque tutati sunt, sed hostem etiam non exiguis cladibus non semel represserunt. Anno M.CCC.LXXII. atroci inter Eberhardum Comitem VVirtembergicum, & Imperiales, quæ in eius agro sitæ erant, Ciuitates igne flagrante, quo mille ac ducenti circiter pagi exusti, vineæ & arbores cæsæ, prata aratro secta, arua sale & sinapi conspersa, nullum denique hostilitatis genus intermissum fuerat, Reutlingenses sub signis egressi, armenta aliquot & pecora VVirtembergicorum abegerāt: Comite verò cum magno Nobilium numero ad portas vsque ciuitatis eos persequente, ijdem per pseudothyrū subita eruptione facta, tanta vi in VVirtembergicos illati sunt, vt magnam Nobilitatis partem conciderint, reliquos fuderint ac fugarint. Interfecti sunt in hoc prœlio tres Comites, Fridericus Zollerensis, Vlricus Tubingēsis, Ioannes Schvvartzenburgicus: Ipse Comes Eberhardus, accepto vulnere, ægrè elapsus est. Superioris quoque sæculi anno XIX. Vlricus Dux VVirtembergicus Reutlingam vi in suam redegerat ditionem; sed eo proscripto ac Sueuici fœderis armis profligato, ciuitas ad pristinam rediit Imperij libertatem, eaque integra adhuc fruitur.

MVLHVSIVM, SVPERIORIS ALSATIÆ OPPIDVM.

MVlhusium vnde nomen acceperit, apud Germanicæ linguæ peritos quæsito opus non est: qua nomen hoc idem sonat, quod *Molaris domus*. Sita est hæc ciuitas in Sungouia, fertilissima superioris Alsatiæ regione. Tam natura, quàm operibus munita est, vt quæ quatuor fossis circumluatur, & totidem pontibus adeatur. Solum habet vini ac frumenti, aliorumque terra nascentium valdè ferax. Argentoratensem olim Episcopum dominum habuit, eidem à Rudolpho Habspurgensi Comite erepta: qui etiam arcem, duodecim septimanis obsessam, & tandem ciuium auxilijs captam


HAILBRVNNA
NICER FLV


MVLHV SIVM


Siechhaus.
S. Peter
Gottsacker
V Thor.
Capel
Scheub
Agel
Unser Fraw Capel
Burgerhaus
Epes thor
Papir mül
REVTLINGA

ptam demolitus eſt. Eo autem ad Romani regni faſtigium euecto, Mulhuſium vnà cum alijs, quæ eadem fortuna vſæ fuerant, ciuitatibus, ſub Imperij ditione eſſe cœpit. Circa annum M. CCCC. LXVIII. ciues Mulhuſiani, libertati ſuæ à vicinis Regulis inſidias fieri animaduertentes, cum Bernatibus, Solodurijs, & Friburgenſibus in XV. annos fœdus icerunt, Nobilitate vicina valdè fremente, & eam iniuriam, vti putabant, multis damnis vindicante: ſic vt ſimultas hæc tandem in apertum eruperit bellum, quo plerique Songouiæ pagi direptionibus atque incendijs fœdum in modum fuêre vaſtati. Mulhuſiani ergo vt rebus ſuis meliùs proſpicerent, & auxilia magis in propinquo haberent, Anno M. D. VI. cum Baſileenſibus, ac tandem Anno M. D. XV. cum tredecim Heluetiorum pagis fœdus inierunt. Poſtea verò, nimirum Anno M. D. LXXXVI. quum ciues arma contra Magiſtratum arripuiſſent, Senatorum quoſdam in vincula conieciſſent, quoſdam eieciſſent, alios alijs indignis modis tractaſſent; moniti etiam à Confœderatis vt reſipiſcerent, & ex vi fœderis veterem Senatum in priſtinum locum reſtituerent, pertinaciter in rebellione perſtarent, atque ipſis quoque Legatis non parcerent: Heluetij coactis aliquot armatorum millibus, ciuitatem obſederunt, eaque capta, & ſeditionis auctoribus punitis, qui confœderatorum nomine ius diceret, prætorem conſtituerunt. Sed non multò pòſt, nempe Anno M. D. LXXXIX. ciuitas eorundem beneficio plenam libertatem recepit: ſed manſit, immò recruduit inter Senatum & ciues ſimultas, adeò vt ſequenti ſtatim anno ciuium nonnulli nouarum rerum, ac vindictæ præcipuè ſtudio, clam introducto milite ciuitatem occupare, ac Senatum exterminare conati ſint: ſed re detecta, & anteſignanis ſupplicio affectis, tumultus omnis conquieuit.

LIPSIA.

LIPSIA, Vrbs Misniæ Metropolitica & elegantissima, in Ositia, vulgò Ostlandt, inter Plisnam, Elystrum, & Pardã, amnes confluentes sita. Ex pago Liptz, quod lingua Heneta, tiliam significat, in tam augustam magnificentiam, temporis successu, Imperatorum, Saxoniæ Ducum, & Marchionum Misniensium fauore ac gratia excreuit. Ridaco Comiti Merseburgico olim paruit, sub Othone I. Imperatore. Ridaco autem absq; sobole mascula mortuo, Henrico II. Cæsari cessit circa Annum Christi M.XXI. Ab hoc, Merseburgico Episcopatui vnà cum Lipsiensi pago, feudis, iuribus, & regalibus, traditus est Comitatus; & in eius potestate mansit ad annum Christi M.C.XXVIII. Erant tunc crebræ vectiones salis & aliarum mercium per hanc oram, quæ occasionem & facultatem augendi pagi Liptz dederunt. Et attulit adiumenti non parum Aula Marchionũ Misniæ, quæ Landisbergæ erat: donec anno Christi M.C.XXXIV. Otho Conradi filius Marchio Misnensis, facta cum Merseburgico Præsule permutatione, Liptz pro castris, & vicis quibusdam acquisiuit: ea tamen conditione, vt Antistes Merseburgicus directum dominium retineret, Princeps vtile haberet. Hic perspecta commoditate & opportunitate loci, de condenda vel augenda vrbe consilium cepit. Itaque muris opidum cinxit, vel certè nouis munitionibus auxit, tum priuilegijs & statutis decorauit. A quo etiam insignia sua habet ciuitas, ex Misnicis scilicet, & Landisburgensibus conflata, coloribus duntaxat mutatis. Quod factum esse apparet anno Christi M.C.LXXIV. Arx in hac noua vrbe erat ad Plisnam, versus meridiem. Hanc vnà cum opido demolitus est Otho Romanorum Rex. Cùm vix reparata esset vrbs, denuò ob rebellionem quamdam adortus est eam Ditericus Marchio, & postquam ea potitus est, tres Turres, siue Arces in ea ædificauit distinctis locis, vbi postea extructa sunt Monasteria, Franciscanorum, Dominicanorum & castrum Pleissenburgum. Non multò pòst condidit idem Marchio cœnobium S. Thomæ, anno scilicet Christi M.CC.XVI. S. Pauli verò cœnobium ædificatum est anno salutis M.CC.XXIX.


Belli incommodis nonnihil liberata ciuitas, ædificijs & opibus creuit, & caput supra alias vrbes extulit, vt quasi oculus quidam Misniæ haberetur. Emporium celebre, quod in ea est, Merseburgi primùm ab anno Christi M.CC.LXXX. frequentatum est, inde Grimam, tandemque Taucham, postremò Lipsiam translatum est à Theodorico, priuilegijsque tam ab eo, quàm à sequentibus Marchionibus Misniæ confirmatum anno Christi M.CC.XXVIII. Quod indicant diplomata non solùm Theodorici Marchionis, sed Imperatorum quoque Romanorum complurium. Accedit ad hanc solennem Panegyrin, quæ ter annis singulis celebratur, deponendarum mercium ius, & cautio, ne in vicina Diœcesi vllæ nundinæ indicerentur.

In bello funesto Adolphi Cæsaris, & Friderici Tizemannique fratrum Misniæ Marchionum, Lipsia quoque occupata est ab Adolpho, Anno Christi M.CC.XCVI.

Occupata est eadem quoque à VVoldemaro Marchione Brandeburgico, sed recuperata anno Christi M.CCC.XIII. à Friderico Admorso, nouisque accessionibus aucta, atque ornata est.

Habet præter Emporium frequens, etiam syluas, prata, hortos, muros, fossas, turres, castrum, duas Parochiales Ecclesias adprimè ornatas, scholas duas particulares, Scabinatum, prouinciale iudicium. Ac Scabinatus quidem siue ordo iudicum de iure respondentium cœpit Anno Christi M.CCCC.XX. Prouinciale verò iudicium Albertus Saxoniæ Dux instituit anno Christi M.CCCC.LXXXVIII. Contulêre ad hoc iudicium aliquid opis & subsidij consequentes Saxoniæ Principes Fridericus, Ioannes, Georgius, & Mauritius. Ampliauit verò, & perfecit maximè Augustus.

Porrò vniuersale studium Lipsiam quoque vehementer exornat. Id autem quando, & quam ob causam ex Pragensi Vniuersitate Lipsiam translatum fuerit, explicat Dubrauius in descriptione Bohemiæ libro XXIII. Albertus Crantzius in sua Metropoli lib. XI. cap. VIII. Et D. Iacobus Middendorpius lib. V. de Vniuersitatibus ex AEnea Syluio hunc in modum *Lipsiensis Vniuersitas initium sumpsit ex Pragensi, Anno Domini 1408. propter sectã Hussitarum in Bohemia, Anno sequenti confirmata. Rexerant Scholam Pragensem vsque in ea tempora Teutones: id molestissimum Bohemis fuit, hominibus naturâ ferocibus & indomitis. Ex quibus vir quidam genere nobilis, ex domo, quam putridi piscis vocant, apud Oxonium Angliæ ciuitatem litteris studens, cùm Ioannis VVicleui libros offendisset, quibus de Realibus Vniuersalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit, imbutusque VVicleuitarum veneno, & ad nocendum paratus, tum, quod erat familiæ suæ cognomen, putridum piscem, id est, fœtidum virus in ciues suos euomuit. Commodauit autem scripta, quæ attulerat, his potissimùm, qui Teutonicorum odio tenebantur, inter quos Ioannes emicuit, obscuro loco natus, & ex villa Huss cognomen mutuatus. Hic, cùm esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumque dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, auidè admodum VVicleuitarum doctrinam arripuit, eaque Teutonicos vexare cœpit, sperans eo modo confusos Teutones scholas relicturos. Quod cùm succederet, à VVenceslao Rege impetratum, vt Pragense Gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur: Ea res magistratum scholæ Teutonibus abstulit. Quàm ob caussam commoti Magistri, & discipuli Teutonici generis, iureiurando adacti, vno die supra duo millia eos secuti, apud Lipsiam Misniæ ciuitatem, trium dierum itinere à Praga distantem, Vniuersale studium erexêre. Bohemis ergo scholæ suæ gubernatio liberè patuit, quando Germani Professores successerant, patriamque suam illustrare malebant, quàm apud Bohemos oleum & operam perdere. Et ne Bohemis, quorum Vniuersitas ad conseruandã veram Religionem instituta erat, ad seminandas hæreses auxilio fuisse viderentur, Ioannes Cochlæus libro primo Historiæ Hussitarum paulò apertiùs hæc perscripsit. Quòd nimirum Bohemi à Rege obtinuerint, eam Academiam sic gubernari, vt ipsius mater Parisiensis gubernabatur, id est, cùm hactenus quatuor in ea Academia nationes, Bohemica, Polonica, Saxonica, Bauarica eandem per omnia authoritatem habuerant, nunc vna Bohemica tantum authoritatis haberet, & ex promotionibus in omnibus quatuor facultatibus tantum emolumenti perciperet, tantũque in electionibus ad officia præ-*


LIPSIAE INSIGNIS SAXoniæ urbis et celeberrimi Emporij vera Effigies. Anno M.DC.XVII.
Porta Parua.
Porta Halen.
Porta S. Thomæ
Templum S. Petri
Frumentaria domus
Collegium Paulinum.
Porta S. Petri.
Porta Grimensis
1. Arx Pleissenburgum.
2. Templum S. Thomæ
3. Quæstorum
4. Porta Franciscanorum
5. Templum Franciscanor.
6. Porta Randina.
7. Frumentaria domus.
8. Collegium nouum.
9. Collegium magium.
10. Templum Paulinum.
11. Collegium S. Petri.
12. Curia.
13. Cella Arcis.
14. Sympoterion.
15. Templum S. Nicolai.
16. Taberna pannorum.
17. Schola S. Nicolai.
18. Schola S. Thomæ.

cia, præbendas, & dignitates valeret, quantum reliquæ nationes tres simul. Quod cùm contra vetera priuilegia, æquitatem, & iuramentum suum esse cognoscerent, & ad raucedinem vociferarentur, nec tamen impedire possent, Lipsiam Vniuersitatem transtulerunt, in quatuor nationes eam diuidentes, Misnicam, Saxonicam, Bauaricam, & Polonicam.

Confirmata verò hæc Academia reperitur à Pio II. & Alexandro P. Quinto. Eamque nonnihil collapsam Georgius Dux Saxoniæ restituit. Erasmus Roterodamus Epistola ad ipsum Georgium Ducem: *Tuis*, inquit, *auspicijs, tuaque munificentia Lipsensis Academia iam olim celebris, ac solennibus illis studijs flores, nunc politioris literaturæ, ac linguarum accessione per te sic est exornata, vt vix vlli cæterarum cedat.* Conseruatorem Vniuersitas habet, & Cancellarium Antistitem Merseburgensem. Pagos tenet proprios, & Canonicatus in Diœcesi Merseburgica, Misnica, Numburgana & Cizensi: Cœnobium Paulinum cum omnibus quæ ad illud pertinent, Mauritius Dux & Elector Saxoniæ Academiæ donauit. Huius Ducis, & fratris illius Augusti, tum Christiani quoque cùm in omnibus partibus correcta, aucta, & locupletata est Academia. Petrus Mosellanus, Græcarum litterarum in hac Academia Professor ad Georgium Saxoniæ Ducem sic loquitur: *Quantum per grauissimas curas, quibus amplissimæ ditionis tuæ hominibus prospicis, datur, huc intendis, huc prospicis, vt Lipsia tua non tam ciuium opibus, quàm bonarũ artium studijs indies maius sumat incrementum. Quid ego nunc commemorem splendidissima ædificia, in vsum tum discentium, tum docentium, partim à te partim etiam à maioribus tuis hic magnificentissimè a primis fundamentis ad sũmum vsque fastigium exstructa: quid annuos reditus, quibus omnis generis scientiarum Professores liberalissimè dotasti? Cumque ex Clementina sanctione didicisses, in publicis scholis trium linguarum Doctores fouendos, ne hic quicquam tuæ Academiæ deesset, iam in tertium annum vtriusque linguæ Professores & sumptu tuo foues, & auctoritate tueris, nec dubitamus, quin breui & sanctæ, hoc est, Hebraicæ linguæ Magistrum tua Celsitudo nobis sit procuratura. Vt post hac nemo quicquam, quod ad instructissimum Gymnasium pertinet, sit hic desideraturus.*

Lipsiensis Academia hanc consuetudinem hactenus obseruauit vt in electione Rectoris oratio haberetur in laudem bonarum Artium, & encomion Reipublicæ, atque fundatorum. Et vt singulis annis statuta Vniuersitatis legerentur. Quo die Rector Magnificus de vita, & moribus studiosorum, de officio præceptorum, ac discipulorum, & similibus Academicis exercitijs declamabat. Sicuti ex ijs orationibus colligitur, quas vtroque tempore Conradus VVimphinas à Fagis Rector Lipsiæ habuit, quæ & typis excusæ circumferuntur.

Huius Academiæ Alumnis notandum, & studiorum promouendorum causa diligenter vitandum erit, quod refert Aeneas Syluius, ad librum primum Panormitani, de gestis Alfonsi Regis. Cùm Leonardus quidam eques & nobilis cognatum suum Lipsiæ bonis literis operam dantem salutaturus aduenisset, quæsissetque, vti valeret, & quem in bonis literis progressum fecisset: vnus è commilitonibus respondebat, optimè quidem se amicus tuus gerit, nam inter mille quingentos studiosos hic vnus bibendi palmam obtinet.

Graui obsidione cincta, & oppugnata fuit Lipsia à Ioanne Friderico Saxoniæ Duce & Electore, Anno salutis M.D.XLVI à decimatertia die Ianuarij ad vicesimum septimum eiusdem mensis, tantoque displosorum tormentorum fulmine verberata, vt vix maior vis adhiberi potuerit, sed conatu tamen irrito.

Curia, Lipsiam multùm exornans, ædificata fuit anno salutis M.D.LVI.

De Lipsia sic Iulius Scaliger in suis Vrbibus:


Lipsia se ostentans sublimibus aurea tectis,
Lumina dum saturat, mens perit acta fame.
Vecta quibus ratibus longinquæ marmora terræ?
Vnde frequens flaui pura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc serica dices,
Sedibus euulsa huc Indica regna suis.
Cum gemma bibitur, vincuntur nectare gemmæ;
Sed linguæ varius vincit vtrumque nitor.
Nec Germana tamen vitiatur Lipsia luxu:
Ast hunc Germanum Lipsia magna facit.

NYSSA.


SILESIA, cuius vniuersæ latitudo trium, longitudo sex dierum iter patet, Polonici olim regni pars fuit; ante ducentos ferè annos Bohemiæ adiuncta, cuius rex ditionem hanc beneficiariæ clientelæ seu feudi nomine à S. R. I. agnoscit ac tenet. Præcipuum in ea emporium & metropolis est Vratislauia; Episcopalem sedem ac cathedram Nyssa habet ad cognominem fluuium sita ciuitas; quam Casimirum I. Poloniæ regem Vratislauiæ instituisse nonnulli scribunt: qui regia ortus familia, Religioso Cluniacensium Ordini nomen dederat: quum verò è regia stirpe nemo præter ipsum superesset, Pontificis venia ac dispensatione, ea conditione, vt singuli denarij in singula regni subditorum capita, excepta tamen nobilitate, Romam quotannis mitterentur, impetrata, regno fuerat admotus. Sed verisimilius est, quod alij tradunt, primam Episcopalem sedem in Silesia à Miescone (qui etiam Miecislaus appellatur, & primus Poloniæ Principum, ducta in matrimonium Bohemorum regis Boleslai filia Christianam fidem amplexus est) Smogræ vili nunc pago constitutam, inde Bitinam in Brigensi territorio, ac tandem Vratislauiam, ab prædicto Casimiro translatam, & insula illa, quam circumfluens Odera facit, dotatam. Ipsa quidem Nyssensis ciuitas mediocri est amplitudine ac nitore, amœno loco, fertili, & ad commercia ob Nyssam fluuium (qui è Bohemicis ortus montibus, & Gorlitium præterlapsus, infra Crossam Oderæ commiscetur) opportuno sita. Episcopatum hodie tenet Serenissimus Princeps Carolus Austriæ Archidux Ferdinandi coronati Bohemorum Regis & Leopoldi, Argentinensis & Passauiensis Episcopi, &c. frater: qui vt bono publico diu superstes sit, Deum precamur.

LIGNICIVM.

LIGNICIENSIS oppidi primordia iuxta cum omnium ferè totius Silesiæ initijs ignorantur; quod nec è vestigijs ac monumentis, nec vetustis Annalibus, hostilium vastationum & incendiorum frequentia absumptis, quidquam certi erui aut inuestigari possit. Initium tamen cum multis alijs Silesiæ ciuitatibus, Vratislauia, Glogouia, &c. circa annum M.XLVIII. cepisse, nonnulli coniectura ducti affirmant. Alij, in quibus Munsterus, à Boleslao Poloniæ ac Silesiæ Duce, circa annum MCXC. ædificatam volunt. Quidquid sit, oppidum est natura potius quàm operibus munitum: vnde Ducatus Lignicensis totius regionis maximè potens denominatur: præter quem complures alij tam in vtraque Lusatia, quàm Silesia hodie numerantur. Ducatus huius possessio, Friderico Duce Anno MDXCVI. sine liberis defuncto, ad Ioachimum Brigæ Ducem deuoluta est.



NISSA SILESIOR
sedes Episcopalis.



LIGINICIVM

MARIAEBERGA.

RECENS hæc eſt ciuitas ſuperiori ſæculo circiter annum Chriſti MDXIX. ab Henrico Saxoniæ Duce condi cœpta. Sita eſt in montanis Miſniæ, loco peramœno & omnium rum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum, vino excepto, perquam fertili. Plani, atque etiam molliculi colles aruis & hortis ſunt conſiti; in montibus numeroſi domeſticorũ animalium, ouium inprimis greges paſcuntur. Copioſam ferarũ venationem propinqua Bohemica ſeu Hercynia ſylua ſuppeditat. Plateæ vrbis nitidæ omnes, vt & ipſæ domus, & ad normam velut & amuſſim directæ. Templum valdè ſplendidum, vti & Curia ſeu Senatoria domus. Ciues opulẽti, nec minùs humani. Dites circa oppidũ ſunt argentifodinæ; quæ initium quoque ei & ſplendorem dederunt, vti & propinquis Miſniæ ciuitatibus, inter quas Friberga (quæ huic ad Septemtriones) ſiue amplitudinem vrbis ac ciuium multitudinem, ſiue ædificiorum elegantiam, ſiue opes ſpectes, nulli ferè totius regionis concedit. Ceterùm quum tam hęc vtraque quàm multæ aliæ Miſniæ ciuitates & cunabula & incrementa ſua metallorum, argenti inprimis debeant fodinis, non abs re fortè erit primam earum, in hac quidem regione, inuentionem paucis indicare. Aiunt verò aurigam quendam, dum currum ſale onuſtum in Bohemiam veheret, in orbita fruſtulum plumbaginis ſeu galenæ reperiſſe: quod cùm ille Goſlariæ oſtendiſſet, rerumque metallicarum periti multò plus illud quàm vllum aliud argenti habere deprehendiſſent, certatim ad hæc loca magna foſſorum multitudo ſe contulit, vbi Friberga, Mariæberga, aliæque ciuitates ex miro argenti & æris prouentu partim de nouo ædificatæ, partim maiorem in modum amplificatæ ſunt. Inter alias argentifodinas vna eſt Aberthana nomine, raro fortunæ caſu inuenta. Habitabat in ſylua illa foſſor pauperculus, armenta heri ſui paſcens. Is dum ſcrobem effodit, in qua vaſa aliquot lacte plena reponeret, metallica vena fortè aperta, puras aliquot argenti micas inuenit: qua re lætus, prefectum adit, & ius fodinæ à ſe repertæ, vti leges habent, dari ſibi petit. Etſi verò ſpes ingentis inde prouentus minimè vana fuit; primus tamen annus tantas impenſas abſumpſit, vt toto eo vertente, nullius ferè partis poſſeſſio apud priſtinos dominos permanſerit, & miſellus ille, qui initio Herculem tam propitium habuerat, & ſpem futuri prouentus, & ipſum quoque argentum omne, quod è ſcenicis illis, vt ita dicam, opibus redemerat, (nihil enim præter aſpectum habuit) decoxerit. Hodie quidem Saxoniæ Duces è Miſnicis his montibus magnam argenti vim cogunt, non tamen tantam quantam olim, quum Albertus Dux in fodinam S.Georgij, quæ eſt in Niuali monte, cum familiaribus ſuis deſcendens, pro menſa argenteam inuſitatæ magnitudinis laminam ibi effoſſam, inſterni ſibi curauit, atque inter epulandum, Amici, inquit, non quidem nego, Fridericum Imperatorem potentiſſimum eſſe dominum ac Monarcham; verùm illud affirmare auſim, hodie illum quidem tali menſa non vti. Quæ propterea annectere viſum, vt intelligatur qua occaſione Miſnici illi montes tanto ſtudio excoli cœperint, & ex eorum intimis viſceribus tam præclaræ atque opulentæ ciuitates, inter quas & Mariæberga noſtra eſt, veluti pullularint.


MARIENBERG MISNIÆ
CIVITAS
A. Prætorium.
B. Ecclesia Parochialis.
C. Officinæ metallicæ.
D. Via Pragam ducens.
E. Pars syluæ Hercyniæ.
Depictum a Iacobo
Houfnagel.
A
B
C
D
E

PENICA SAXONIAE OPPIDVM.

VIX trecenti anni sunt, quum totus hic locus vbi Penicense oppidum iam situm est, syluis & arbustis fuit consitus, ac latrocinijs valde infamis, priusquam Fridericus Misniæ Marchio, cognomento Audax, destructis latronum receptaculis captisq; eorum ducibus, itinera omnia tuta reddidisset. Situm vero hoc oppidum est ad Muldam fluuium, eo loco vbi olim ignobilis fuit pagus, eique appositum templum siue sacellum B. Virgini Deiparæ dicatum, ad quod etiam ex remotis valde locis frequentes peregrinationes religionis ergo suscipiebantur, ac vota soluebantur. Quum ergo in tanto hominum concursu vicinis spes lucri affulgeret; pauci initio qui peregrinis res necessarias præberent, domicilia sibi eo loco construxerunt: cuius opportunitate pluribus deinde allectis, tēplum multo augustius factum, domus vicatim dispositæ, & in oppidi formam, muro tandem circumducto, redactæ sunt. Turrim anno M CCCC.LXXVI. templum vero anno M.CCCC.XCIX. exædificatum; Consules deinde ac Senatum anno MCCCC. V. institutū Dresserus scribit. Primi oppidi conditores Marchiones Lisnicenses feruntur, in quorū ditione idem ad annum vsque M.D.XXXVI. permansit. Pons lapideus ex stipe à peregrinis religionis ergò venientibus collata exstructus est, ad euitanda pericula & impedimenta, quæ interdum fluuij inundatio obijciebat. Extra oppidum rupes est, inque ea multi specus, miris anfractibus inter se peruij, in quibus tamquam cellis multa dolia optimæ cereuisiæ plena condita seruatur, & æstate recens inde ac frigidus depromitur potus Figulinam ciues non pauci exercent, varij generis ollas mira arte extornantes. Aiunt vnam hic tantæ magnitudinis fuisse, vt tres vini cados ceperit. In hāc quum quidam Saxoniæ Dux per scalas se demisisset, nec per scalas rursus vellet exscēdere, ollam confregit, sibique facilem hoc modo exitum fecit. Lisnicenses Comites arcem olim hoc loco habuisse, vero non est absimile: quorum prosapiæ circa annum M.D.XXXVIII. exstinctâ, ditio eorum in Saxoniæ Ducum ac Marchionum Misniæ, primum Georgij, deinde Henrici, ac tandem Mauritij potestatem venit. Sed hic anno M.D.XLIII. cum Baronum Schonbergiorum familia quorundam locorum permutationem instituit, hoc oppido pro Honstæno arce ac pagis quibusdam ad Albim sitis eis concesso. Ex dicta familia tum quatuor fratres impuberi adhuc ætate erant superstites, Ioannes scilicet, Ernestus, Georgius, & VVolfgangus: quorum bona tutelæ nomine administrabant Ioannes Georgius Comes Mansfeldius, Christophorus Henricus Comes Stollbergensis, & Ludouicus Fachsius Iurisconsultus: qui tanto Principi rem tanto studio expetitam minime denegandam censuerunt.


Septentrio
PENIGK
MISNIAE OPPIDVM.
A.
B
C.
D.
A. Der Weg auf Leibzig.
B. Das Schloß.
C. Pfar khirch.
D. Mulda fluuius.
Depinxit et Communicauit
Georgius Houfnaglius
Delineatum a filio a°. 1617.

EISENSTADIVM.


EISENSTADIVM(Σιδηρόπολιν Græcè, Latinè *Ferri ciuitatem* dicas) non ignobilis eſt in vltimis finibus Auſtriæ inferioris ciuitas inter Leyttam fluuium, qui Auſtriam ab Hungaria ſeparat,& lacum Neoſidlienſem ſita, ſolo admodũ fertili, cuius benignitas & pabulum pecori, & Cereris & Bacchi dona hominibus affatim ſubminiſtrat. Nec ſyluæ deſunt,& lignationi & venationi percommodæ. Arcem habet ſatis amplam ac ſplendidam, colliculo aliquãtum ſupra ciuitatem aſſurgenti impoſitam. Germanorum lingua & mores hic ferè adhuc in vſu ſunt. Tantò maior eius cenſenda eſt felicitas, quãtò minùs eius memoria ſuperiorum bellorum celebratur hiſtorijs. Qua vtinam cum tota Chriſtiana Republica,& ijs maximè regionibus, quæ barbari hoſtis ditioni vicinæ, & excurſionibus eiuſdem obnoxiæ ſunt, æternùm, Dei immortalis beneficio, vtatur, fruatur.

MANERSDORFIVM.

DVO huius nominis in Auſtriæ Archiducatu ſunt oppida. Vnum(quod tamen pagus potiùs)inter Fanum S.Hippolyti & Tulnam ciuitates: alterum itidem vti Eiſenſtadium, inter Leyttam fluuium & Neoſidlienſem lacum, paullò ſuperiùs ſeptemtriones verſus, in extremis inferioris Auſtriæ & Hungariæ confinibus ſitum: cuius figuram vnà cum circumiecta regione præſens tabella exhibet. Oppidum ipſum in planitie iacet;& præcipuè thermis ſeu balneis aquarum calidarum ac ſalubrium celebratur. Ad Auſtralem plagam mons in mediocrem altitudinem attollitur, vnde amœniſſimus longè lateque patet proſpectus. Hinc enim immenſa quaſi totius territorij Viennenſis, eademque vini ac frumenti, interiectis nonnullibi ſyluulis quibuſdam & dumetis venationi opportunis, feraciſſima planities, à ſiniſtra & Occidentali plaga Stiriæ, à dextra verò & Orientali Hungariæ alpium incluſa radicibus, ciuitatibus, oppidis, arcibus tam Principis quàm Nobilium pagiſque quamplurimis, ad ſiniſtram maximè partem, quaquauerſum & vbique ad miraculum referta, oculis ſubijcitur planities. Quin etiam ſudo cœlo proſpectus ad Viennam vſque patet. hinc ad læuam mons Comagenus cum arce(Calenberg vulgò dictus)celſo aſſurgit faſtigio, inde continua quaſi ſerie oppida plurima ad radices prædictorum montium ſeſe conſequuntur, inter quæ præcipua ſunt, Rodaunum, Petersdorfium, Brauna, Lichteſtænum arx, Medlinga oppidum, Compolskirchen oppidum, ciuitas Badenſis: tum Manersdorfio ab eadem parte aliquantò propiores, Treskirchen oppidum, Laxenburgum, arx venatoria,& Himbergum oppidum. Totum hunc tractum, quo vix vllus vel ad voluptatem amœnior, vel ad fructum vberior reperitur, Turcæ Viennã An.M.D.LXXIX. obſidentes, miſerum in modum vaſtarunt, incenſis oppidis & pagis, vaſtatis agris, & multis animarum millibus in morte triſtiorem ſeruitutem abductis. Quin etiam Anno M.D.LXXVIII. Turcæ, excurſione facta, Medlingam vi expugnarunt,& quacunque tranſiêre, inaudita horribilis ſæuitiæ exempla ediderunt, non impunè tamen; quum multi eorum à Croatiæ & Stiriæ incolis magno numero interim congregatis oppreſſi, ſcelerum ſuorum meritas luerint pœnas.

EISENSTADIVM

vulgo EISNSTAT, *in vltimis finibus Austrię Inferioris ciuitas.*



depictum à filio Iacobo anno 1617.

MANNERSDORF.

Septentrio



MANNERSDORFIVM, *oppidum in extremis confinibus Inferioris Austriæ, et Hungariæ situm: Termis siue balneis aquarum calidarum ac salubrium percelebre. Ex hoc monte per aliquot miliaria patet admirabilis, simulac vini ac frumenti feracissima planities tractus territorij Viennensis, à sinistra ac Occidentali parte inclusa radicibus alpium Stiriæ, & à dextra et Orientali, montium Hungarię: Ciuitatibus, oppidis, nobilium arcibus, pagisq; infinitis, quaquauersum et vbique plena, quorum aliquot nomina hic subiunguntur.*

A. *Ciuitas Badensis.* B. *Treskirchen oppidum.* C. *Compolskirchen opp.* D. *Medlingen opp.*
E. *Laxenburch arx venatoria.* F. *Lichtenstein arx.* G. *Braun opp.* H. *Petersdorph opp.*
I. *Rodaun opp.* K. *Himberch opp.* L. *Calenberch.* N. VIENNA. O. *Vischamindt opp.*

Meridies.

LAVREACVM,

vulgò, *Ens.*


AMPLISSIMA quondam hæc vrbs fuit Romanorum Colonia, *Aureliana Laureacensis* cognomine, vbi non legiones modò, sed etiam ipsi Imperatores statiua habuerunt. Ad ostium vsque Anisij fluuij, non procul inde ex Alpibus in Danubium effluentis, pomœria eius olim se extendisse, vestigia & signa adhuc testantur: nunc è tantæ vrbis à Gothis & Hunnis non semel vastatæ ruinis exiguum reliquum est oppidum: quod cum fortuna nomen quoque mutauit, idque cum præterfluente commune habet. Oppidum ipsum paullò editiore loco situm fluuium despicit: tribus maximè insignibus structuris conspicuum est. Curia seu domo Senatoria, quæ vmbilicum tenet; Arce & Templo Parochiali, quæ vtrique lateri prætenduntur. Hic fluuij alueus diuisus paruam efficit insulam, pascendis pecoribus idoneam; copiosum piscatum suppeditans, piscibus scilicet è vicino Danubio cateruatim ascendentibus. Extra oppidum non procul ab ostio, quo in Danubium Anisus se euoluit, in colle quodam antiqui, vt apparet, castri fundamenta visuntur, & ingentia saxa quadrata: inter quæ templum summæ vetustatis, à Christianis olim exstructum, adhuc extat, sed planè profanatum ac ruinosum. Huius parietibus inserta sunt quędam saxa, cum sculpturis antiquis. In stylis portę lapideis quadratis templi videtur chorus bacchantium Satyrorum ac Nympharum: è quibus Satyrus vnus tibias, alijs subsilientibus, inflat; Nymphæ his intermistæ crotala pulsant, & tripudiant. Inter alia, quæ pleraque deleuit vetustatis iniuria, saxo quadrato cernebatur insculpta Europa, tauro natanti insidēs, & cornu alterum sinistra tenens: stolata ad pedes vsque, dextera prehendens velum, quod capiti eius, corniculatæ lunæ forma, circumuolitat. Fluuij hodie quàm oppidi celebrius nomen est, vt cuius, Austriam transuersim intersecantis, cursu Austria vniuersa in duplicem regionem, eam scilicet quæ supra, & eam quæ infra est Anisum, diuiditur. Pascuis tamen, aruis, & fructibus varij generis felix solum colonos vbertim alit; accedente etiam vtriusque fluminis ad multas res opportuni vicinitate. Episcopatum olim hic fuisse illud argumento est, quòd Ernestus circa annum Christi M.LXX. quæstoriam Præfecturam (Kastuogtey Germani vocant) tam Laureacensis quàm Passauiensis Diœcesios adeptus, & *Prior Romani Imperij* appellatus legitur, illo quoque priuilegio concesso, vt quacunque intra Imperij fines iter faceret, nudum gladium & vexillum præferri ipsi liceret. Episcopatum verò hunc Passauium postea translatum esse, Lazius tradit.


ENS
AVSTRIAE CIVITAS
Superiorem ab inferiore diuidens.
Rathaus.
Pharkhirchn.
Shloß.
ENS F.
ENS F.
Communicauit Georgius Houfnaglius,
depictum à filio Iacobo, anno 1617.

FANVM S. HIPPOLYTI,

vulgò *Sanpolten.*

ELegans hoc est inferioris Austriæ oppidum, ad Drasamum fluuium situm. De origine eius nihil reperio: è nomine verò nō ineptè quis coniјciat, olim fanum hic fuisse S. Hippolyto dicatum, ad quod tandem aggregantibus sese ciuibus, oppidum fuerit exstructum, vti in multis alijs factum. Solum habet perbenignum, tam aruis quàm hortis mirificè excultum. Tam ædium quàm reliquus oppidi ornatus intra mediocritatem consistit. Nuper admodum, nimirum Anno M.D.XCVII. nobilitari cœpit, quo rustica na huius tractus plebs, continuis tributis grauari se & exhauriri caussata, primùm secretas coitiones fecit, mox animaduersa idem sentientium multitudine, in apertam seditionem erupit, atque arma cepit, ductore quodam Georgio Brunnero, sartore. Hi tripartitis ordinibus peruagati in verba sua omnes adigunt: eos qui sacramentum dixissent, edere cogunt omnia grauamina, quibus à dominis contra ius fasque premi se existimarent, vt in literas relata & consignata, ad supremum magistratum, Imperatoriam scilicet Maiestatem mitterentur. Licèt autem verbis eidem omnem promitterent obedientiam; facta tamen ipsorum ab omni humanitate, & quæ magistratui deberetur reuerentia, valdè abhorrebant. Nec enim contenti minas iacere, arma ostentare, eorumque metu sedibus suis dominos eijcere; nonnulli etiam magna dignitate viris manus & vincula inijcere non dubitarunt. Ad eorum furorem vel pacifica tractatione sistendum, vel armis compescendum nomine Cæsareæ Maiestatis missi sunt, qui cum ipsis agerent: sed vel responso non quale voluerant accepto, vel promissis non satis, aut suorum numero nimis confisi, non modò in malè cœpta rebellione perstiterunt, verùm etiam quotidie plures ad sese aggregando, vicos & arces occupando, vlterius sunt progressi. Non tamen eadem fuit omnium pertinacia, idemque furor. Qui enim supra Bohemicam syluam habitant, quamquam & ipsi tumultu omnia miscuissent, admoniti tamen, vt dum ad veniam receptus esset, resipiscerent, armis positis, ad sua quisque reuersi, quiescendum sibi statuerunt. Reliqui Cisdanubiani etsi spem fecerāt nihil amplius molituros, seditionem tamen multò maioribus quàm antea viribus redintegrarūt. Eorum circiter quingentos Colonitsius ad Graueneccam concidit, pagum Strassam incendit: in quo incendio multi cum liberis & vxoribus perierunt. Hac clade partim fracti, partim maiora mala veriti, partim etiam Cæsareorum Legatorum verbis deliniti, & culpam suam professi & deprecati sunt; nihil etiam posthac moturos iureiurando sese obstrinxerunt. Non diu pòst, nullis prouocati iniurijs, sed fatali quadam insania abrepti, ad multa millia iterum concurrunt, tormenta & quidquid ad bellicum pertinet apparatum, conquirunt: Pulcam vicum dedi sibi poscunt, Lillefeldam Monachorum cœnobium spoliant: oppido denique Sanpoltano exercitum admouēt; ciues monent, ne amicos & nihil hostile cogitantes excludant, non contra Cæsaream Maiestatem, supremum suum magistratum, arma se ferre: eò tantùm spectare, vt iustitia sartatecta conseruetur. Oppidani vt moram aliquam interponerent, deliberaturos se, conuocatis ciuibus, quid facto opus sit, respondent. Paulò pòst redeunt seditiosorum legati iisdem cum mandatis, quibus illud tantùm responsum est: Non satis conuenire inter ciues ea de re qua de ageretur: ceterum melius facturos, si armis positis domum quisque properarent. Hoc responso irritati, vi oppugnare oppidum decreuerunt; contra quam interea oppidani diligenter se comparauerant. Dum ad mœnia desidēt seditiosi; nocte intempesta Comes à Turri cum paucis equitibus inuectus, castra tumultus & terroris impleuit. Pauefacti igitur, magnam adesse hostium rati multitudinem, ante lucem vasa colligunt, ac fugientibus similes discedunt. Tādem prudentiores intellecto errore suo, vt culpam quodammodo expiarent, seditionis auctores comprehenderunt: quorum vnus ne viuus in magistratus veniret potestatem, cultro in ventrem adacto sibi ipse mortem consciuit; reliqui diuersis supplicijs affecti, & crucibus affixi, temeritatis, vel potiùs impietatis suæ graues quidem, sed meritas pœnas luerunt.



A. Draisn fluuius.
B. Rathaus.
C. Pfarkhirch.
D. Die Aptey.
S. POLID
vulgo
SANPÖLTEN.
INFERIORIS AVSTRIÆ CIVITAS.
Communicauit Georgius Houfnaglius
delineatum a filio Iacobo a°. 1617.
B.
C.
D.
A
In hoc colle castrametati sunt coniurati, et rebelles Rustici
Austriaci. anno. 97. et 98. Quorum ductores & perduel-
lionis auctores, eam ob causam in eodem hoc loco diuersis
affecti supplitijs, alijs exemplo, crucibus affixi sunt.
Occidens.

ZASLAVIA.

DE ciuitatis huius, vti & plerarumque aliarum, origine, minus nihilo in Bohemicis, qui quidem in lucem prodierunt, reperitur in Annalibus. De rebus quoq; ab ea vel ad eam gestis pauca scripta exstant. Sita est loco campestri, tribus circiter milliaribus à Cuthna, argentifodinis celebratissima ciuitate; è quibus etiam non pauca emolumenta ad vicinos Zaslauienses redundant. Sed & olim damna inde & pericula non leuia sensit, Hungaris, de populata Morauia, magno numero in Bohemiam sæpe effusis, & hæc potissimum loca, prædæ, argenti maximè, cupiditate, aggressis. Sed & Morauí non semel ad intercipiendos puteos (vt Dubrauius loquitur) venis argenteis scatentes de improuiso venerunt; ac licet male habiti atque accepti fuerint, degustata tamen hac veluti loto, nec ignominiosa repulsa, nec cæde absterreri potuerunt, quin ad dulcem hunc fructum in Bohemia colligendum redire festinarent. Vnde frequentia ad Zaslauiam & cruenta prœlia commissa. Ac licet multis sæpe ac miserandis cladibus Bohemia fuerit afflicta; nullas tamen maiores calamitates, quam à monstroso illo Hussitarum duce (cuius & viui effigies & mortui se pulchrum in hac tabula delineatum, cernitur, in templo vero ipsum monumentum ostenditur) Zisca, inquam, sensit. Hic nobilis quidem genere, sed tenui censu (vtar AEneæ Syluij verbis) in curia Regis à puero enutritus & bellis exercitatus, vno carens oculo, quem strenue pugnans amiserat, infectus Hussitarum veneno & rapinarum auidus, collecta perditorum hominum multitudine in Ecclesias quæ restabant, impetum fecit, simulachra Sanctorum & imagines confregit, Monasterium Carthusiensium Pragæ vicinum inuasit, & direptum incendit, tantis deinde tamque continuis victoris potitus est, vt Hussitæ eo duce, nihil non auderent, nihilque difficile sibi arbitrarentur: è cuius schola deinde alij bellicosi duces, inprimis Procopius ille cognomento Magnus, prodierunt. Quum ergo Zisca non Pragam modo, sacerdotis cuiusdam hæretici Rochizanæ artibus introductus; sed prope vniuersum Bohemiæ regnum in potestate sua quasi haberet: Sigismundus Rex clam eum sibi conciliare tentauit, oblata totius regni, vt & belli administratione, & ingenti auri pondere quotannis promisso, modo ad obsequium regis & ipse rediret, & ad obedientiam ciuitates ab subditos reduceret. Verum dum hæc tractantur, Zisca peste correptus exspirauit; non tamen cum ipso bellum, quod lethale Bohemiæ vulnus inflixit, necdum sanatum. Testamentum fecit rebus gestis dignum. Iussit enim pellem cadaueri detrahi, atque ex ea tympanum fieri, & ante aciem pulsari: nec dubitare se, quin hostes, audito eius sonitu, statim fugam arrepturi sint, quasi eadem vis illius foret, quæ Medusæi capitis, cuius aspectu homines in lapides vertebantur.

COMMODA.

QVæ Zaslauiæ adiuncta in hac tabula cernitur Commoda, non parui nominis ciuitas, ab ea, si situm ipsum spectes, longè abest, quum illa non procul à Morauiæ, hæc à Misniæ finibus prope absit, in campis patentibus, loco satis fertili sita. Hanc Misnicis præsidijs firmatam, idem Zisca, de quo modo diximus; Pelzina frustra oppugnata, petijt: eaque vi capta, non sine magna suorum cæde, populares cum sacerdotibus, ædibus ligneis inclusos, frustra veniam petentes, exussit. Addit Dubrauius, ad tria millia ciuium, aduenarum, presbyterorum, Iudæorum ibi interfectos. Sæuitum præterea à mulieribus Thaboritis in matresfamilias & puellas, quas promissa salute extra ciuitatem eductas, igne vinearum tugurijs iniecto, cremarunt. Hodie Societas Iesu & iuuentutem ibi summo cum fructu bonas literas docet; & errantes à fide Catholica reducere, & cæteros in obedientia S. Matris Ecclesiæ continere satagit.


Meridies
CZASLAVIVM
vulgo
CZASLA BOHEMIAE CIVITAS.
INSCRIPTIO SEPVLCHRI IOANNIS ZIZKÆ.
A°.1424. DIE IOVIS ANTE FESTVM GALLI
VITA FVNCTVS IOAN. ZIZKA CALIC. REC-
TOR RERVM PVBLIC. LABORCI. IN NOE ET
P NOMINE DEI H°. TEMPLO CONDITVS EST.
EFFIGIES IOANNIS
ZIZKAE VIVI.
Der weg auf Praag.
A°. 1424. DIE IOVIS ANT
IOHANNES SISKA
Defunctus.
COMMODA
vulgo
COMETHAV
Bohemiæ ciuitas.
Communicauit
G. Houfnaglius,
depictum
à filio A°. 1617.
A. Der weg auf Leibzig.
B. Der weg auf Praag.
C. Iesuwitter kirche.
D. Das Sloß.
E. Das Raet haus. F. Phar kirche
Septentrio.

LAVNA.

OPPIDVM hoc Bohemię à quo vel quando conditum ſit, vt & pleraque alia, Bohemicarum rerum ſcriptores non produnt. Situm eſt loco quidem plano, modicis tamen paſſim aſſurgente collibus. Ad Septemtrionale eius latus Egra, celebris Bohemiæ fluuius, præterlabens, quamuis à mœnibus longius aliquanto abſit, ciuibus tamen multa præbet commoda, ſolum quum alia, tum triticum & poma omnis generis præſtantiſſima producit, quæ per totũ regnum in delicijs habetur, nec frugibus modo, verum etiam paſcuis ager mire fecundus. Frequẽtiſſimum hac iter eſt Lipſiâ Pragam contendentium: eoque ipſum oppidum moliri aliquid cupientibus valde opportunum. Certè Albertus Imperator, quum Rudolphum filium, VVenceſlao iuuene admodum proditorum inſidijs interfecto, procerum quorumdam ſuffragijs regem electum accepiſſet; duobus comparatis exercitibus, ipſe Launam oppidum a plaga Occidentali celeriter occupauit, dum filius ab Orientali, capta Sgladia, arma Bohemię infert: ſicque Pragam verſus vterque progreſſi, Henricum Carinthiæ Ducem competitorem, quamuis in regno eſſet, & regia etiam affinitate niteretur, nullo negocio cum vxore domum reuerti coëgerunt. Id non ignorantes Huſſitæ, ſuperioribus motibus id in primis operam dederunt, vt oppidum hoc in ſua haberent poteſtate. Neſcio miſerandum magis an ridiculum ſit quod Dubrauius ſcribit libro XXIV. Thaboritas eo inſaniæ progreſſos, vt iamiam vltimum adeſſe diem affirmarint; impijs quidem ad interitum, pijs autem, quales ipſi ſe eſſe fingebant, ad ſalutem. Saluari autem nõ poſſe, ne pios quidem, niſi in quinque ciuitatibus, Pelſina nempe, Launa, Slana, Glattouia, Zatio. Primam Solem, ſecundam Lunam, tertiam Stellam, quartam Auroram, quintam Segor cognominabant. Qua ſuperſtitione magna eorum multitudo perculſa, dum Sigiſmundus Imperator ad Pragam obſidendam caſtra ponit, Zatio, Launa & Slana ſeſe incluſerant, neque ſocijs (metuentes ſcilicet ne extra illas ciuitates progreſſi, terræ hiatu abſorberentur, vel cœli ruina opprimerentur) opem ferre audebant: donec à ductoribus quibuſdam perſuaſi inſtructo agmine Pragam profecti, atque intra mœnia recepti, coniunctis viribus caſtra Imperatoris adoriri decreuerunt; qui conſilio eorum comperto, Boleſlauiam retroceſſit. Inde Gulielmus Lepus cum copijs quibuſdam ad Slanam progreditur, & occupato colle proximo, dum fingit inter Cæſarem & Pragenſes pacata eſſe omnia, à ciuibus intromiſſus, eos in fidem Cæſaris adigit, oppidumque præſidio firmat; quò poſtea ipſe quoque Imperator ſe recepit, nullo alio conſilio quàm vt vicinis Launenſibus terrorem inde oſtentaret: quod tamen multo felicius ceſſit. Dum enim Cæſariani ad muros aliquanto propius accedunt; ciues nonnulli inuitis decurionibus portas aperiunt, ſeque & ſua Cæſaris poteſtati dedunt. Quæ quidem res vtrique ciuitati proculdubio ſaluti fuit.

SLANA.


SLANA oppidum medio fere itinere Launa Pragam euntibus occurrit, nobilioribus totius regni merito annumerandum. A Sale nomen accepiſſe Dubrauius libro II. auctor eſt. Ait enim, Nezamiſlio Primiſlai, eius qui primus Bohemiam Gynæcocratia, ſub qua hactenus fuerat, liberauit, filio rerum potiente, pace per totum regnum conſtituta, ſpem ſalis, quo etiamnum non niſi importato vtitur Bohemia, inueniendi affulſiſſe: iamque venas ſalſarum aquarum apertas: vnde tam ſalis coquendi quam noui oppidi condendi gratia, magna hominum frequentia ad eum locum vndique confluxerit. Ceterum ſalis illos fontes breui tempore euanuiſſe, vel ipſis aquis ſua ſponte factis inſipidis, vel hominum aliorum commodis inuidentium culpa. Zatienſes enim mera inuidia ſtimulatos, Slanenſibus denunciaſſe, ne Salinas inſtituerent; quod ſi facere pergerent, nouum opus armata manu ſe ipſis nunciaturos. Inſtitiſſe nihilominus operi Slanenſes, & ex aduerſarijs ſecum congreſſis, vltra centum interfeciſſe. Ægritudinem ex hac clade acceptam Zatienſes totum annum diſſimulaſſe: poſtea vero ex improuiſo oppreſſis, cæſis, ac fugatis Slanenſibus, Salinas omnes demolitos, ipſum etiam fontem immani magnitudine ſaxis ac lignis obſtruxiſſe, ne qua eius in poſterum inſtaurandi ſpes aut facultas ſupereſſet: tum oppidum quoque occupaſſe, colonis eò ex ciuitate ſua, quæ nimia ciuium frequentia onerari videbatur, deductis. Quæ ſi vera ſunt (nec ſane ego vel rei vel auctoris fidem vellicare auſim) antiquitatem huius oppidi teſtantur, tam ſua elegantia quam agri ſubiecti fertilitate atque amœnitate inprimis commendati.


LAVNA
vulgo
LAVN BOHEMIAE CIVITAS.
Septentrio
Anno 1617
A. Der weg auff Praag.
B. Der weg auff Leibzig.
C. Rath haus.
D. Corn haus.
E. Pfar kirch.
F. Egra fluuius.
Communicauit Georgius Houfnaglius delineatum a filio.


SCHLANIVM
vulgo Schlani Bohemiæ oppidum.
Occidens.
Rathaus.
Der weg auff Leibzig.

POLNA.

CIVITAS hæc cum arce ita in Bohemiæ ac Morauiæ confinio eſt poſita, vt op-
pidum quidem Morauiæ, arx vero Bohemiæ adſcribatur. Tã hæc quam il-
lud magnificis ſtructuris exornatur. Qua Pragã itur, ſtagna aliquot ſunt ſeu
viuaria, vberem piſcium copiã ſuppeditantia. Ager tam frugibus gignendis,
quam alendis pecoribus, venationi inſuper & aucupio peropportunus. Cæ-
terum quum tam apud Hiſtoricos quam Geographicos Scriptores exilis, aut fere nulla op-
pidi huius, in ipſo vtriuſque regionis, vti diximus, confinio ſiti, fiat mentio; non iniucun-
dum forte *L*ectori fuerit, paucis vtriuſque coniunctionem indicare. Ac primò, vide mihi
ſis, omniũ rerum viciſſitudinem? Nunc Bohemię, olim Morauiæ reges celebrati ſunt. Du-
catus tunc erat *B*ohemia; nunc Marchionatus Morauia. Huius tum Maieſtati tam Bohe-
mia quam Polonia aſſurgebant; nunc vtraque Regia dignitate effulgentes, Morauiã longe
infra ſe deſpiciunt. Sed in eo felicior Morauia, quod prior Chriſtianã fidem amplexa, eandẽ
in Bohemiã transfudit, hac quidem occaſione: Diuerterat ad Suantopolcũ Morauiæ regẽ,
qui à Methodio & Cyrillo perſuaſus, Chriſtianam religionem iã amplexus fuerat, Boriuo-
rius Bohemiæ Dux: venitq; eo forte die & tempore ad regem ſalutandum, quo ille à ſacro-
ſanctæ Euchariſtiæ perceptione reuerſus, menſæ ſuæ accumbere parabat. Accepta igitur
redditaque ſalute, rex, *Ignoſcas*, inquit, *Boheme hoſpes quod ad prandiũ hoc noſtrũ in præſen
tiarum non inuiteris. Nec enim fas eſt, nec iura Chriſtiana ſinunt, reuertẽti à menſa Dei viui,
eum conuiuam habere, qui menſæ deorum mortuorũ accumbere, deque illorũ ſacrificijs partici-
pare ſoleat. Proin ſi tibi noſtra placent conuiuia, fac vt ſimul etiã placeat religio: ac tum demum
noſter eris, & valde optatus cõuiua.* Pupugerunt hæc animũ Boriuorij: ſed magis adhuc ei-
dem de mutanda religione cogitationẽ iniecerunt honores ab Arnolpho Cæſare Suanto-
polco habiti, poſteaquã Chriſtiana religione fuit initiatus. Quum deinde acceſſiſſent SS.
Methodij & Cyrilli inſtructiones atque exhortationes, Boriuorius Dei afflatus ſpiritu, per
ceptis aliquantum Chriſtianæ fidei myſterijs, vnà cum magno clientum ſuorũ numero ſa-
lutari aqua fuit ablutus; deinde vxor quoque eius Ludmilla, & magna præterea Bohemo-
rum multitudo vtriuſq; ſexus ad baptiſmũ quotidie adfluebat. Iã quomodo Morauici reg-
ni decus extinctum ſit, paucis accipe. Suantopolco patri extincto, Suantopolcus filius ſuc-
ceſſit: qui nõ ſatis habẽs Arnolpho Cæſari Nortmannis domandis intento, inſultare, & per
Noricũ magno cum Cæſaris dedecore, prædas ferre, agere, rapere, etiã indigniſſimũ in Me
thodium Præſulem facinus deſignauit. Ad eũ rex miſerat ne prius ſacra obiret, quã ille à ve-
natione eſſet reuerſus. Rege longiorẽ morã trahente, ac multitudine interim dilabi incipi-
ente, Methodius, poſthabito regis imperio, ad aram ſe recipit, ſacraque more ſolemni ad-
miniſtrat: quum ecce rex, turba venatorũ canumq; ſtipatus, in templum introrumpit, &
ad arã cũ ingenti ſtrepitu, boatu ac latratu ſe applicat, ægre à violando Præſule manus con-
tinens: omnia tamen quæ in altari erant appoſita, ſacra profanaq; diſturbat & diſijcit: Me-
thodius nõ ſui hunc, ſed Dei contenitũ interpretatus, in Bohemiã conceſſit, Deo vindictã
permittens: quæ mox ſequuta eſt. Imperator enim tãta & ſanctiſſimi hominis & religionis
violatæ indignitate cõmotus, Suantopolci regnum edicto publicauit, & vicinis gentibus,
Hungaris, Polonis Auſtriacis diripiendũ dedit, reliqua pars quæ hodie Morauia dicitur, vl-
tro ſe poteſtati ac fidei *B*ohemorũ permiſit. Illud vero inprimis memorabile eſt, ꝙ idẽ Su-
antopolcus regno pulſus, quum aliquãdiu incertis ſedibus oberraſſet, tãdem Eremitis qui-
buſdã ſupra modum auſterã vitam agẽtibus, ſocium ſe ſeadiunxit, nulli eorum patientia ac
tolerantia laborum cedens; nec prius quis eſſe prodidit, quam finẽ vitę iã inſtare animad-
uertiſſet. Eundem aiunt à contubernalibus Nitriæ in Pãnonia ſepultum, eiuſque condito-
rio hoc Epitaphium inſcriptum: Regem Morauię Suantopolcum in medio regni ſui ſepul
tum iacere.


POLNA
vulgo POLM insign: BOHEMIÆ ciuitas
Regnum a Morauia diuidens.
D.
E.
C.
B.
A. Rathaus.
B. Der weg auff Wien.
C. Der weg auff Prag.
D. Pfarkhirck.
E. Dychen.
F. Das Schloß gelegen in Behem, vnd die ſtat in Mähren.
Communicauit Georg. Houfnaglius depictum a filio. A°. 1617.


ZNOYMA.

ELEGANS, hoc est & opulentum Morauiæ, qua Austriam spectat, oppidum, colli impositum, quem Teya fluuius (Thaysam vocat initio ferè libri IV. Dubrauius) præterlabitur, non procul inde ortus. Ad plagam Septemtrionalem arcem habet tam loci natura quam operibus satis munitam; nisi quod ei à vicino monte, Pelsten-berg vulgo dicto, à quo fossa tantum seu hiatu quodam non admodum largo separatur, periculum non leue imminet, quum tormentis inde commodissime quati possit. Inter publica ædificia domus Senatoria siue Curia præcipue eminet, altissimam habens turrim, artificiosè constructam. Priuatorum quoque ædes non parum elegantiæ præ se ferunt. Ab Austriæ Ducibus dotis pignore (vt cum Dubrauio loquar) possessam, verum Anno M.CCCC.XXIII. regno Bohemiæ restitutam lego. Quum enim Ludouicus Bauarus de Imperio cum Friderico Austriæ Duce contendens, ad Muldorfum in Salburgensi agro, & vniuersum Austriaci exercitum profligasset, & ipsum quoque & fratrem eius Henricum, Ioannis maxime Bohemorum regis adiutus auxilijs, cepisset; Henrico eæ libertatis recuperandæ leges dictæ sunt: vt nouem millia Marcarum argenti dependeret; prætensionibus ac priuilegijs, quæ Duces Austriæ & Carinthiæ, temporibus Alberti Romanorum Regis in Bohemię regno obtinuerant, tam ipse quam fratres renunciarent, & Znoymam cum castro à regno abstractam, redderent. Hæc eadem ciuitas famosa est Sigismundi Imperatoris, & Bohemię atque Hungariæ Regis obitu: & Barbarę eius vxoris captiuitate, qui dum Bohemis diffidens, ad filiam Alberto Austriæ Duci nuptam, iter meditatur, aucta vi morbi, animam hic Deo reddidit, quo mortuo, Regina insanæ libidinis fœmina, & viuo marito nouas agitans nuptias, statim in custodiam datur: sicque vnà & Imperatrix captiua, & Imperatoris cadauer in Hungariam, mirabili simul & miserabili spectaculo deuehuntur. Ciuitatem hanc vnà cum Brunna, & ambarum territorijs singulares Principes, Regum tamen fere filios, aut fratres, abundante scilicet liberorum multitudine, olim habuisse, è Dubrauij passim deprehenditur historia: è quibus vnus Conradus nomine quum Henricum Olomucensem Episcopum, quem tamen ipse vt sui caussa Romam proficisceretur exorauerat, sceleratis insidijs in via intercipere conatus esset, eoque elapso, omne eius viaticum & sarcinulas diripuisset, diris siue anathemate à Pontifice percussus est. Quas quum ille nihili penderet, atque etiam Legato, non sine minis, vltro insultaret: Vladislaus Bohemiæ rex, & hanc Episcopi, quem ob pietatem ac fidem vnicè amabat, & multas sibi iam antea factas iniurias ægerrime ferens, Conradum vi compescendum statuit, missisque copijs, Znoymā cuius arci is se incluserat, obsedit. Quum initio lente procederet obsidio, Vladislaus vt militem alacriorem redderet, per castra voce præconis edici iubet; Eniterentur quisque quantum possent, vrbem expugnandam strennue capesserent. Ciuium fortunas omnes & quidquid tam in oppido quam in arce, si vi caperentur, militum prædę se permittere. Hoc terrore ciues, qui ad inferiorem portam quæ Austriam respicit, excubias agebant perculsi, signum deditionis è muro ostendunt, & vitæ ac fortunarum promissa incolumitate ab Vladislao in fidem recepti, portam aperiunt, militemq; intromittunt. Restabat arx, cęteroqui vrbi contigua, fossa tantum modica intercedente separata. Ad eam fimo ruderibus, lignis, & obuia quacunque materia implendam, dum miles audacter magis quam prouide accurrit multi vitę iacturam fecêre, periculum plurimi adiêre, Conrado ad fortiter tuendam arcem suos incitante. At vbi tandem faces ac tela ignita essent ingesta, arxque tota fumo & flamma permistis arderet, Conradus per interiorem arcis ac secretam portulam elapsus, victori arcem quoque reliquit: & aliquamdiu per Austriam ac Bauariam errabundus, tandem ad Conradum Cęsarem, sacram tunc in Palæstinam contra infideles expeditionem adornantem, confugit, ad expiandum scelus, nomen suum inter milites professus. Eius operam Imperator sibi non inutilem fore arbitratus, & hominem ipse in gratiam recepit, & vt bonis restitueretur, ab Vladislao impetrauit. Quæ deinceps tam in Bohemia quam Morauia de imperio contentiones exstiterint, idem Dubrauius luculenter exponit: simulque alibi non sine insigni addit elogio, Znoymenses ab Hussitarum erroribus maxime abhorruisse, eorumque furori restitisse: quamuis hodie totam fere regionem Anabaptistarum secta inundarit.


ZNAYMVM
vulgo
ZNAYM, MORAVIÆ CIVITAS
PRIMARIA.
A. Das Schlos.
B. S. Nicolas.
C. Rathaus.
D. Spital S. Francis.
E. Der weg auff Wienn.
F. Der weg auff Retz.
G. S. Michaeli.
H. H. Creutz.
I. Ober thor.
K. Nider thor.
L. Muhl.
M. Peldtenberg.
Communicauit G. Houfnaglius
depictum a filio.
Septentrio
Teya flu
Anabaptista

BRVNA.

POST Olomutium, Bruna (Pryn Germanis, Bruo Bohemis) Morauiæ gentis caput est; vrbs ædificiorum præstantia negociatorum multitudine, ac ciuium opibus in primis conspicua. In plano sita est, excepta illa parte qua Spilbergum, arx natura & opere munitissima præalto monti imposita, ciuitati imminet, duplici vndique fossa ac muro cincta. Non procul inde amnis præterlabitur, Suitaua nomine, multas vrbi commoditates præbens. De antiquitate vrbis parum nobis quidem constat: vetustam tamen esse vel moles illa monti imposita, & ad antiquum modo facta arguit. Eadem Matthiæ Coruini Hungariæ Regis obsidione celebris est. Quum enim Anno M.CD.LXVIII. Pontifex Georgium Pogebracium Bohemiæ regem, ob Hussitarum, quam amplectebatur, sectam regia potestate abdicasset, itemque Bohemos, & Silesios & Morauos omnes qui se hæreticorum adiunxerant partibus, anathemate percussisset: Matthias nulla habita tam propinquæ affinitatis ratione (Georgij enim filiam in matrimonio habebat) socero bellū indixit. Primus impetus in Morauiam factus est, in qua Launa Matthiæ vltro patuit; Trebyzo vero arci Victorinus Georgij filius cum valido præsidio se inclusit, sed à Matthia obsessus, clam inde cum suis in tutum se recepit. Accepto in deditionem Trebyzo, Matthias Brunam versus castra mouit; positisque ad suburbia castris, misso præcone, Senatum rogauit: Vtrum hæreticæ prauitati, sanRomanæ fidei partes sequi vellent? Si Romanæ; Legato Pontificis, quem secum habebat, ac sibi portas vltro patefacerent; sin hæreticæ; indictum à præcone bellum accipiant. Præconi responsum, postero die se Legatos ad regem missuros, eique satisfacturos. Ij vbi in castra venerunt, vnus ita loquutus fertur: Si Senatus populique Brunensis animum, Matthia rex, perspectum habeas, intelliges profecto nihil tibi cum eis hostile intercedere posse. Orthodoxæ enim ac Romanæ fidei sectatores sumus; quin etiam mori potius volumus quam ab Apostolica Romana Ecclesia deficere. Quum aliter facere non possemus, vtpote externis destituti auxilijs, hæreticorum, quando ita tulit vsus & temporis ratio, imperium pertulimus: animos interim ab omni perniciosa opinione liberos ac puros gestamus. Vt quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo redderemus, externum regis imperium non detrectauimus; soli tamen Deo ac Catholicæ fidei deuotam seruauimus mentem. Sincera & intemerata fides, integri sacrorum ritus & inuiolatæ ceremoniæ apud nos exstant. Præter legitima vectigalia & obsequia, quę negare minimè poteramus, nihil hæreticis vmquam præstitimus, nec præstandum censemus. Summum Pontificem iam pridem accepimus, Matthia rex, te huic bello perfecisse, teque fidelibus vindicem atque assertorem dedisse. Te quoque, Pater optime, misisse Legatum, qui pro Pontifice omnia administrares. Senatus noster decretū Pontificis nō detrectat: ei tamquam Dei vices in terra gerenti; deinde Matthiæ regi, inuictissimo Catholicæ fidei propugnatori, domi forisque obsequium pollicetur, spondet imperata se facturū: vrbis tantum libertatem & vetera priuilegia atque immunitates seruari sibi postulat. Nec vos ipsi negabitis, qui inter tam varias hęreticorum sectas integram fidem & sacra illibata seruarint, pręmijs magis quam pœnis dignos. Quando ergo sinceram retinuimus fidē, Seruatoris nostri pro cuius nomine arma sumsistis, præceptum & exemplum sequimini: pro fide saluos nos præstate: omni, vt æquum est, nos seruitutis onere leuate: immunes nos efficite, vt hęreticis tāto melius resistere queamus. Postremo Senatus populique Brunensis nomine ad tutelam sanctissimæ fidei, ad Pontificiam dignitatem & Maiestatem regiam asserendam, studia, vires, fortunas, vrbem, agrum, humana denique ac diuina omnia vobis offerimus, dicamus, & vtcumque res ceciderit, in omni fortuna pollicemur. Vobis, vt vultis, siue, vt conciuibus siue vt possessoribus ac dominis, portæ vrbis, ædes cunctæ patent. In potestatem vestram vrbem accipite. Illud tantum rogamus, vt quo cōmodiora proceribus, ducibus ac tribunis militum sint hospitia, gregarium militem in castris contineatis. His dictis, Legatus Pontificis cum Rege, oratoribus ac toti ciuitati congratulantur quod in recta fide permanserint, quod pestilentissima hæresos contagione se non infecerint, quod ne iacturam animarum facerent irreparabilem, à religione vera deficere noluerint. Rex etiam bono animo Brunenses esse iubet, pollicitus, se non modo vetera priuilegia sarta tecta eis conseruaturum, verum etiam noua, atq; adeo integram libertatem concessurum. Nec esse vt vllam militarem formident molestiam; ciuitatem haud secus ac sacellum vel aram ab omni iniuria immunem fore; quinetiam ciuium commoda castrensi mercatu non parum auctum iri. Legatis dimissis, rex sequenti die vnà cum Pontificis Legato ciuitatem ingressus est, à Brunensibus honorifice exceptus hospitijs cuiq; pro dignitate designatis, Mox castellum vrbi imminens obsedit, quod à valido hæreticorum præsidio tenebatur. Georgius vbi Brunam deditionem fecisse accepit, quantas potuit copias, vt obsidione arcem liberaret, collegit. Castra vtrimque tā prope collata, vt milites colloqui possent. Verbis magis, dum socer generi erga se impietatem, gener socero erga Deum perfidiam exprobrat, quam armis certatum. Georgius aliquoties cum Matthia habito colloquio, ac conuiuio etiam celebrato, paucos post dies inde discessit. Matthias quoque ne frustra ibi tempus tereret, Magyarum Blasium cum parte copiorum ad Spilbergi obsidionem reliquit; ipse cum reliquo exercitu Olomutium profectus, & hoc & pleraque alia Morauię oppida similiter in deditionem accepit. Spilbergum vero vix nouem mensium spacio ad deditionem potuit cogi. Hæc tanto prolixius commemoramus, vt insignis Brunensium ciuium in Catholica religione appareat constantia: quam hodieque ijdem in tanta hęreseon, quibus Morauia scatet, multitudine integram & immotam seruant. Quod singulare Dei beneficium Societatis Iesu, cuius ibi est pręstantissimum Collegium, industria, vigilantia, doctrina & exemplo adiuuatur.


BRVNN
Vulgo Brinn Marchionatus Morauiæ
Ciuitas insignis.
1617
A. Lochenberg.
B. S. Bornhaet.
C. Brunner Thor.
D. Thum Kirch.
E. Bischof Hof.
F. Spielberch.
G. S. Michael.
H. Rathaus.
I. Iuden Thor.
K. S. Nicolai.
L. S. Iohannes.
M. Frölich Thor.
N. S. Iacop Pffarkirch.
O. Iesuiter Kirch.
P. Renner Thor.
Q. S. Thomas Clost:
Ex depicto aliorum communicat Georgius Houfnaglius.

BVDA, vulgò OFEN.

CIRCA nomen huius vrbis eiusque inuestigandam originem, mirum est quàtopere inter se dissentiant scriptores. Ranzanus corruptè Budam vocari putat, quum Bleda dicenda sit, à Bleda Attilæ fratre. Et hoc quidem nomine Attilæ fratrem fuisse Bonfinius quoque putat: idem tamen paullò pòst in eodem libro, quasi sui oblitus, Attilam multis vastatis gentibus domum reuersum, sua manu fratrem obtruncasse scribit, quòd Sicambriæ, quam muro cinxerat, non Attilæ, sed Budæ nomen indidisset. In quo etiam Nicolaus Olahus in suo Attila ei astipulatur: qui addit, interfecto fratre, iussisse Attilam, vt Budæ memoria abolita, Attilæ nomine deinceps appellaretur: id tamen (vt plerumque iussis obnituntur humana ingenia) à paucis fuisse obseruatum. Hungaros quidem eam arcem & vrbem etiamnum Budam; Germanos verò nunc Etzelenburg, (quasi dicas Attilæ castrum) nunc à furnis, quibus calx ibi olim coquebatur, Ofen, id est, fornacem vocare. Alij Budam dictam volunt à Budinis, vetustissimo Scytharum populo (& in hanc sententiam idem Bonfinius magis inclinare videtur) qui cum Attila Hunnorum rege in Pannonias descenderint. Quidquid sit, plerique duplicem Budam, veterem & nouam faciunt. Illam Sicambriam priùs nominatam volunt; quòd Romanorum legio è Sicambris conscripta, ibi locorum præsidia agitarit, atque vrbem construxerit. Lapidem certè in Buda veteri, Matthia regnante, dum fundamenta ædium Beatricis Reginæ iacerentur, effossum scribit Bonfinius, cum tali inscriptione: LEGIO SICAMBRORVM HIC PRAESIDIO COLLOCATA CIVITATEM AEDIFICARVNT, QVAM EX SVO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERVNT. Quæ si vera est (quamuis eruditiori alicui fortasse antiquitatem parum sapere videri possit) omnis dubitandi ratio sublata est. Aliorum omitto ineptias, qui à nescio quo Buda, inter Indiæ Gymnosophistas seu Brachmanas doctrinæ principe dictam nugantur; quasi tam nobili ac præclaræ vrbi ex India vsque auctor quærendus sit. An verò Curta Ptolemæi vel Aquincum sit, alijs discutiendum relinquo.

Sed vt ad nostrum præcipuè institutum veniamus, BVDA haud dubiè vetus est vrbs, ad Danubiæ ripam, duobus & triginta milliaribus infra Viennam Austriæ, edito in colle sita, & quidem tam decliui alibi, vt ad faciliorem ascensum ac descensum olim Regum magnificentia lapidei positi fuerint gradus. Ad ipsius loci genium quod attinet, vix vlla non in Hungaria modò, sed & tota ferè Europa ciuitas olim fuit, quæ cum hac vel amœnitate situs, vel soli fœcunditate, vel opportunitate fluminis, vel publicorum ac priuatorum ædificiorum nitore, vel omnium rerum tam ad necessitatem quàm luxum ac voluptatem vitæ pertinentium vbertate potuerit comparari. Arcis quidem, & natura & operibus permunitæ, ea fuit magnificentia, vt intus ac foris auro radiare omnia viderentur. Quid de splendore Basilicæ dicam, quam Geysa & Ladislaus reges fratres in honorem Deiparæ Virginis exstruxerunt, & Pæstanis vectigalibus, tribusque in Simigiensi agro vicis multisque villis & aureis atque argenteis ornamentis dotarunt? Ex aduerso arcis mons aliquantò editior assurgit (vbi Turcæ hodie propugnaculum ac validum tenent præsidium) olim à B. Gerardo, à templo sub eius nomine diuini pietati dicato, appellatus: cuius intercessionem peste correptis Dei misericordiam ritè inuocantibus salutarem esse, pictæ imagines & appensa persolutis votis donaria testantur. Sed hæc fuerunt. Nunc enim omnia Christianæ olim pietatis & instrumenta & ornamenta ineptis & fœdis Mahumetanorum superstitionibus vel cedere vel inseruire coacta sunt.

In aduersa Danubij ripa Pæstum, Buda aliquantò minus, sed & ipsum inprimis elegans ac locuples oppidum in planitie positum, multis itidem dotibus commendatur. Et vt ager circa Budam totus in colles partim vineis, partim amœnis nemoribus consitos assurgit; sic Pæstano oppido subiecti campi mira hortorum iucunditate & pascuorum vbertate luxuriant: vt totius regni metropolis meritò hoc loco collocari debuisse videatur.

Restat vt quomodo in Turcarum venerit potestatem, paucis edisseramus. Ludouico rege in clade Mogacensi interempto, quum inter Ferdinandum Regem, & Ioannem Scepusium Transyluaniæ Vaiuodam de regno lis esset orta, & vterque suæ factionis opera in regem electus ac coronatus: Ioannes Ferdinandi viribus impar, in Poloniam primùm, inde ad Solymanum Turcarum Imperatorem confugit. Cui nulla vnquam gratior res accidit: statimque ad Ioannem in regnum reducendum, cum trecentis hominum millibus in Hungariam venit. Eius aduentu cognito, qui Budæ in præsidio erant, partim Strigonium profugerunt, partim in arcem se incluserunt, annitente maximè Thoma Nadasto, qui omnibus modis retinere eos laborabat. Quum verò hostem magnis viribus ad obsidionem properare accepissent; metu hostis perculsi, arcis hostibus statim dedendæ consilium capiunt, eique reclamantem Præfectum in vincula conijciunt. Pacti vt cum impedimentis incolumes dimitterentur: mox egressi, à barbaris hanc eorum perfidiam & ignauiam detestantibus circumuenti, spoliati ac cæsi sunt: Præfectum verò Solymanus, collaudata eius virtute, liberum dimisit. Idem publico edicto promulgari iussit, quicumque Ioanni Scepusio, cuius in regnum reponendi gratia se venisse prædicabat, se nõ dederet, dictoque esset audiens, in eum se ferro flammaque vindicaturum; qui verò eidem tamquam regi parere in animum inducerent; ijs libertatem, pristina iura ac priuilegia conseruaturum. Hinc ad Viennæ obsidionem profectus, Ioannem quidem in speciem pro Hungariæ rege haberi voluit: quum reuera regnum in ipsius esset manu. Paulò pòst, nempe Anno M.D.XXXVIII mortuo Ioanne, vnico relicto ex Elisabetha Poloniæ Regis filia, paullò ante mortẽ nato filio, quum Ferdinandus viduam ac tutores, vt pactis cum Ioanne initis starent, admonuisset, quibus, secretò tamen, ne Solymanus offenderetur, cautum erat, vt Ioanne defuncto, ius omne ac regni titulus, qui vtrique communis erat, ad Ferdinandum rediret: tutores infantis, & qui à Ioannis steterant partibus


OCCI DENS.
BVDA
CITERIORIS HVNGARIÆ CAPVT
Regni auita sedes. vulgo OFEN.
A.
B.
C.
D.
PEST.
Danubius fluuius
E.
F.
A. Propugnaculum nouum. B. Arx et Palatium Regium. C. Templum olim Diuæ Virginis nunc Meskita. D. Colles viniferi. E. Bassa Budensis.
F. Genus Hominum apud Turcas Barbarum, ac temerarium, ad omne audax facinus perpetrandum paratum: Dellij vulgo appellantur: plumis in ipsa capitis carne insertis quo truculentiores appareant. de quibus lege plura in descriptionibus Turcicis Ioannis Lewenclauij.
Communicauit Georgius Houfnaglius Anno 1617.
ORIENS.

bus proceres Turcicum implorant auxilium. Iam Ferdinandus Vicegrado, Alba regali & Pæsto occupatis, Budam magnis viribus oppugnabat, ductu Roggendulphi cuiusdam: sed Turcicis superuenientibus auxilijs, ingenti accepta clade, Pæsto etiam per summam ignauiam amisso, ab obsidione discessum fuit. Paulò pòst ipse quoque Solymanus cum reliquo exercitu ad Budam castra ponit, & munera mittit infanti Stephano, vestes auro textas, & equos valdè speciosos; matri verò nunciari iubet, cupere se puerum videre: petit vt in castra eum mittat. Mulier vehementer anxia, quum aliter facere non posset, hortatu procerum puerum mittit, vnà cum nutrice, comitatum turba nobilium, & in his Georgio Franciscano monacho, Varadinensi Episcopo, qui vnà cum Petrouitio infanti à patre tutor datus erat. Solymanus perhumaniter omnes excepit, & legatis splendidum cōuiuium apparari iubet. mox per suos ostendit, velle sibi Budam tradi: neque enim ipsis eas esse vires, quibus vrbem contra hostem possint defendere; & sibi subinde eò redeundum fore cum exercitu: quod valdè futurum sit & molestum & sumptuosum. Hi suo periculo anxij dum mussant; è vestigio Prætorianorum Præfecto vrbis occupandæ datur negocium: neque priùs ad matrem remissus est filius quàm re perfecta. Quum iam vrbem Turcę tenerent, & ciues omnes exarmassent: arcem quoque tradi sibi postulant, in qua regina tunc erat. eam interim Solymanus per internuncios animo iubet esse pręsenti: & Transyluaniam ei atque filiolo possidendam concedit. Hoc modo regina, ne vultu quidem testari dolorem ausa, tyranno quod antè Christianis regibus, vt gratificaretur induci non poterat, in gratijs reliquit: & omni conuasata supellectile, tumultuariè in Transyluaniam abijt, à barbaro milite deducta. Solymanus verò postridie Calendas Septembris Anno M.D.XL. Budam cum duobus filijs ingressus, & templis more gentis nefariè profanatis, in castra reuersus est; relictisque tam Budę quàm Pęsti validis pręsidijs, reliquum exercitum domum reduxit. Et hoc quidem initium fuit non regię tātùm huic vrbi ac regno Hungarię, sed etiam toti Christianę Reipublicę à sęuissimis tyrannis inflictarum miseriarum, ac deplorandę seruitutis. In illam elegans est Iulij Cęsaris Scaligeri Epigramma:

Threicijs iaculis, sæuisque obiecta sarissis,
Virtutis Scythicæ lima vetusta fuit.
Nunc misera, & miserè extremis exterrita fatis,
Olim ab se victis sordida præda iacet.
Discite quid faciant discordia pectora, Reges.
Semper sic odijs dissita regna ruunt.

CASSOVIA.

AMPLA hæc est in primis & munita Hungariæ ciuitas, non procul à Transyluaniæ finibus, ad Heuatum fluuium sita, & ad regni ab illis partibus defensionem, & ad commercia peropportuna. Est enim hoc vnum ex præcipuis Hungariæ propugnaculis, ad hostem quemuis non validissimum sistendum sufficiens: muro duplici magna ex parte, spisso aggere & profunda fossa cinctum. Et in fide quidem Serenissimæ ac Cæsareæ Domus Austriacæ constanter permansit vsque ad ea tempora, quibus Botscaius Transyluaniæ, & nonnullarum partium in Hungaria imperium inuasit. Cassouiæ tum atque etiam Transyluaniæ, qua nuper Sigismundus Bator cesserat, Cæsaris nomine præerat Georgius Basta, vir militari laude clarus: cuius tamquam peregrini imperium pertæsi Haiducci (sic Hungarici pedites appellantur) ductore prædicto Botscaio, res nouas moliri cœperunt. Basta in Cæsariana castra ad Strigonium Anno MDCIV. proficiscens, tam Cassouiæ quàm inferioris Hungariæ Præfecturam Belgiosæ Comiti demandauit: eaque re Hungarorum animi magis irritati sunt. Belgiosa enim cum selectis equitum peditumque copijs Botscaij arcem San Iobum nomine repentè adortus expugnauit, eamq; vt & totam illam Botscaij ditionem diripuit. Is Pragę tum erat, Ordinum quorumdam inferioris Hungariæ & Transyluaniæ nomine exulceratis rebus remedia poscens. Accepta huius inuasionis fama, quamprimùm in Transyluaniam contendit: magnoque vulgi applausu exceptus, Princeps salutatur. Mox ingens fit ad Botscaium Haiduccorum concursus: itinera omnia obsidentur. De quo certior factus Belgiosa, collectis quantas potuit copijs, hosti se obijcere decreuit. sed pugna infeliciter conserta, quum Cassouiam regredi vellet, à Senatu ac ciuibus, partim priores iniurias, & atrociorum minas, partim annonæ defectum, partim etiam Haiduccorum metum caussantibus, exclusus est. Erat tum in vrbe Ericus Lassatus, summus recensendo militi Præfectus: qui licèt summa fide omnia fecerit, vt ciuitatem in Cæsaris obsequio retineret; cauere tamen non potuit, quominus primùm Botscaij Legatus Lippaius Baloscius; deinde ipse quoque Botscaius fuerit intromissus. His ita gestis, Basta mense Decembri eiusdem anni, exercitum Cassouiæ admouit, missisque legatis, ciues vt ad obedientiam redirent cohortatus est Sed Haiducci tanta vi ex vrbe in castra detonuerunt, vt Basta re infecta discedere coactus fuerit. Dici non potest, quàm multa inde vtrimq; crudeliter patrata sint; vt nisi pax labantes res sufflaminasset, omnia iam iam in certum exitium ruitura viderentur. Iam enim Turcæ Strigonium nostrorum militum magis perfidia, quàm sua virtute receperant: & Botscaius, tota ferè Transyluania potitus, & Turcarum adiutus auxilijs, arma per Hungariam ad ipsam vsque Austriam circumferebat, Cassouiæ belli constituta sede. Prætextus, vti plerisque alijs, Religio & Libertas. Quum ergo pars vtraque summis difficultatibus conflictaretur, tandem Anno MDCXI. mense Quintili, Botscaio in gratiam recepto, pax facta est: cuius tamen commodis ille diu frui non potuit, veneno à domesticis propinato, XXII. Decembris Cassouiæ extinctus: quum interea pax quoque inter Christianos & Turcas coijsset. Post eius mortem, vti conuenerat, non Cassouia modò, verùm etiam quidquid Botscaius sub imperio habuit, in Cæsaris potestatem rursus concessit; ac paullatim è summis miserijs eluctari ac pristinum nitorem recuperare cœpit.


Septentrio
CASSOVIA
SVPERIORIS HVNGARIÆ CIVITAS PRIMARIA.
Occidens
Oriens
Depictum ab Egidio vander Rye Belga.
Comm. Georgius Houfnaglius a° 1617.
Meridies

A G R I A,

vulgò *Erlavv.*

AGRIAM, superioris Hungariæ nobilē oppidum & Episcopalem sedem, ab Agrianis, Illyrici populis, qui à Triballorum tergo habitabant, sed traiecto Danubio, in Partisgorum agro, haud procul à Tibisco amne consedere, Bonfinius & conditam & denominatam putat. Sunt qui antiquorum Vinundriam esse putant, cuius Ptolemæus in superioris Pannoniæ tabula meminit, eique trigesimum octauum cum dimidio gradum longitudinis assignat. Sed Lazius Vinundriam superioris Pannoniæ oppidum id esse demonstrat, quod hodieque Wendisch Grätz appellatur. Et simpliciùs illi, meo iudicio, & rectiùs, qui ab Agria riuo oppidum alluente nominis originem deriuant; ineptè verò, qui Agrestibus incolarum moribus etymon adscribunt. Quasi inter barbaras illas & agrestes gentes Latinæ linguæ vsus tam communis fuerit, vt etiam oppidis Latina indiderint nomina. Quantum è Bonfinij colligi potest historia, olim sanè nec celebre admodum, nec valdè munitum fuit oppidum: vt quod Erasmus Teufelius, Ferdinando regnante, primùm operibus ac propugnaculis firmare cœperit: quę paullatim eò roboris euecta sunt, vt non modò variæ Turcarum excursiones inde repressæ, verùm etiam ingens hostium multitudo, magno cum damno & dedecore ab obsidione depulsa sit. Eius situm Sambucus in Appēdice ad Bonfinij Decades sic describit. Mons quidam est, in cuius latere accliui, sed eo suspecto & insidioso, inque profundam vallem vergente, à S. Stephano, vt fertur, applicata cernitur Agria. A Septemtrionibus sedes regia obijcitur. Ab ortu montem alium habet editissimum: cuius de summo liber in arcem patet prospectus. Exitus & ingressus Occasum versùs spectat. Ad meridiem amœnissimus campus visitur. Ab eadem plaga oppidum in valle constitutum, præseptum illud quidem ac munitum tectorio ex argilla facto: vbi fluuiolus Agria haud lentò cursu per medium fertur. Templum verò, primatu Episcopatus nobile, Occasum spectat. Cæterùm arx ipsa, quum aliàs semper, tum verò reiecta fortiter obsidione, magis innotuit, atque à paucis annis munitiones atque ornamenta insignia recepit. Etenim à meridie ingens propugnaculum, vicinaque illi Thomæ Varcocz porta se ostentat: adeoque infestiorem hostibus, propinqua sibi Occidentem versùs turri, comminatur. Nec parum præsidij obsessis in propugnaculo, quod ibidem Dobo exædificarat, constitutum fuisse videtur. Intra hoc opera craticea ad vsque insignem dictam iam molem perducta. Interiecta his fossa humilis, atque etiam propè septa portæ congestus tumulus, irruptioni hostium oppositus: in cuius vertice crates terra completæ, ac tormenta ad disturbandum hostem quoquo versus disposita apparent. Post hæc alius quidam agger olim excitatus, inter Septemtriones & Meridiem prominet. Videas etiam gerras in tectis ac pluteos ipsius arcis, eiusque angulo erectos, hæcque sepibus artificiosè obducta. Haud procul ab his, paulò tamen interius ad angulum de silice præmunitio constructa, quæ in Septentrionem porrigitur, vbi carcer est: statim magnifica quædam ædificia Austrum intuentia sese offerunt: sub quibus remotior ille murus, qui proximè sepibus magnis excipitur. Item alius in exitu palatiorum subest, qui Alexandri propugnaculo terminatur. Porrò autem recens memoria tenet, Petrum Perenij hanc arcem in duas diuisisse partes, interiorem & exteriorem. In illa cœnobium inclusisse, atque custodiam captiuorum in propugnaculi formam redegisse; ab exteriori arce ad dictum modò locum aggeres iecisse, in quibus tormenta disposita, & in tres plagas directa, plurimum ad arcendum hostem profuêre. In sanctuario ibidē statiua multorū erant: siquidem aliquot tabulatorum turres constructæ superiùs, ac terra completæ, conspiciebantur. Insuper vt omni incursu irruentes prohiberentur, gerræ ac viminea dolia, tormentis iuxta collocatis, exstabant. Adiacet his pendula porta, quæ in arcem exteriorem defert. Ab hac rectus murus, de quo paullò antè ad angulum vsque pertingēs, terra ingesta ad proiecturas plenus & coronas vsque ostenditur. Ibidem tumulus murum exæquans adiectus, qui & ipse textis & corbibus munitus est: cuius fastigium obseptum, ne ex mōte in arcem despectus daretur, multum depugnationem adiuuit. Deinde à mole Alexandrina adusque angulum, extra muros, fossa est altissima, pari cum muro longitudine. Isthinc rursum alius sine ambagibus intermissus, ad magnam extenditur portam, in cuius extremo turricula quædam velut latens conquiescit. Hic est situs arcis interioris. Nunc alterius quoque formam paucis indicemus. Hæc Alexandrinam molem adeoque murum interpositum ab Austro aspicit. Fossa etiam quæ communis intercedebat, exteriore ipsa arce concluditur: vbi propugnaculum à Stephano Cyabij factum est, qui diuisionem arcis hanc à Perenio perfectam instituerat. Apud Cyabianum, paullùm ad Occasum, angulus alter procedit, qui palatio muri exterioris loco est. Ab eodem Cyabiano tenuis murus ad latus mōtis excurrit, in cuius angulo turris rotūda existit, inædificata illa, & graui materie solida. Ceterùm Emericus Bebek ad alterum murum peculiare propugnaculum fieri curauerat, quod ipsum etiam nomen ab auctore sūpsit. Atque ita in prominentes duos angulos huius arcis finis desijt. Mox refer pedem à Bebekiano ad ingentem veteris portæ molem, vbi inualidus cernitur murus, supra quem lapidea turris locata, sub qua olim ianiculum fuit, hodie quoque fœno & similibus rebus importandis commodum. Paulò inferiùs penes angulum, alius ruinosus murus in meridiem tendit: qui vbi ad interiorem secessit arcem, fossam impedit, quòd tenuis murus secretæ arcis habet fossam perangustam, intus à Cyabiano ad præfatum angulum vsque productam. Hic duplicato vimine sepes sunt iunctæ, quibus terra solidissimè compacta impletis, minutas turres, ad arcendos hostium globos, si præeminens murus deturbatus fuisset, adiecere. Eadem ratio munitionis in propugnaculo portæ obseruata: siquidem inter murum ac sepes fossa currit amplissima, eaque crebro intercepta, ac turriculis ad tormentorū vsum exstructis firmata. Ad summam, nihil defuit ad optimam loci munitionem, sepibus perdensis, & variè decussatimque dispositis, vbique prætentis. Et hæc quidem Sambucus de Agriensis arcis atque oppidi situ ac facie, quam tum habebat, quum Anno M.D.LII. à Turcis obsessa, ac vehementer oppugnata, verùm non minùs stre-


Septentrio.
AGRIA
vulgo
ERLA.
1588
A.
B.
C.
D.
AGRIA,
Munitißimum Hungariæ
ſuperioris propugnaculum
sepé a Turca tentatum;
tandem ſub Mahumeto
tertio expugnatum et
captum A°. 159.
A. Speculæ.
B. Balneum.
C. Ruinæ oppidi quondam.
D. Solum paludosum.
Communicauit
Georgius Houfnaglius
acceptum ab alio A°. 1617.

nuè, Stephani Dobonis, Stephani Mezkeij, Stephani Soltaij, Stephani Feketi, Casparis Peteij, & Gregorij Bornamissæ virtute defensa fuit, hoste magna cum clade & ignominia reiecto, & obsidionem soluere coacto: quam victoriam supradicto libro Sambucus fusè describit.

Illud æterna memoria Agriensium factum dignum est, quòd quum Aly Bassa ad deditionem eos hortaretur, nullo dato responso, sandapilam atro panno tectam, binis hastilibus prætentis, muro impositam è sublimi loco ostenderunt, innuentes scilicet, nolle se viuos inde discedere, sed oppidum potiùs pro sepulchro habituros, quã hosti tradituros.


Postea verò Anno M.D.XCVI. Turcarum Imperator Mahumetes, Lippa & Petrinia infeliciter tentatis, accepta etiam ad Hatuanam non exigua clade, inopinatò cum valido exercitu progressus, Agriam obsedit. Præsidiarij oppido incenso & relicto, in arcem se receperant, eamque contra primos aliquot hostium insultus strenuè propugnarant. Quum verò Turcæ eandem interdiu noctuque sine vlla intermissione oppugnarent; frustra reclamantibus, & positis genibus ad constantiam exhortantibus Præfectis, Terskio, Niaro Pauli & Kinskio, deditionis consilia agitare cœperunt: quam duæ inprimis res accelerarunt. Prima præsidiariorum quorundam perfidia, qui ducenti & quinquaginta numero, ex arce sese proripientes, abiecta (heu scelus!) Christiana religione, mores Turcarum, sacra & leges profiteri, eorumque militiæ nomina dare non dubitarunt. quæ defectio non paruum commilitonum animis metum incussit. Sed & hostes, expleta fossa, propugnaculum exterius, quod Arci prætendebatur, secundùm iam expugnarant, & ab ea parte obsessos vehementer vrgebant. Apparuit sanè tũ, quantum detrimentum locis etiam munitissimis adferant propugnacula non necessaria, vel loco minùs idoneo exstructa: qui error Famagustam quoque nobilissimam Cypri vrbem perdidit. Sed & Præfectorum, qui è morbis decumbebant, Turcarum conatus multum promouit. Scriptis ergo deditionis legibus, vt scilicet Præfecti viui, commutandis captiuis, traderentur; præsidiarij cum impedimentis omnibus, gladijs tantùm armati, discederent: tertio die Octobris bis mille circiter numero Agriensi arce excesserunt, sed non longè progressi, in latissimo quodam campo à Turcis & Tartaris circumfusi, & fœdum in modum laniati sunt. Quæ tamẽ perfidia multis inter Turcas displicuit; eoque nomine Ianitsarorum Aga apud Imperatorem delatus, & in ius vocatus, quum obiectum crimen parum dilueret, eius iussu, toto inspectante exercitu, in frusta concisus est. Bassa primarius cum tribus alijs arcem ingressus, ante omnia ad Præfectorum Terskij & Kinskij cubicula contendit, perque interpretem humaniter eos alloquutus, suadere cœpit, vt Mahumetanam religionem, eiurata Christiana, amplecterentur. Hanc orationem vterque vultu atque verbis auersatus, nunquam vllam rem tanti apud se fore, apertè responderunt, vt diuinum numen abnegarent, & religionem essent proditur i. Se inuitis arcem hosti traditam, nec in deditionem, si præsentibus interesse licuisset, vnquam consensuros fuisse. Hac tam cordata in extremo discrimine Præfectorum oratione delectatus magis quàm exacerbatus Bassa, bono eos animo esse iussit. Postea quum lytri incidisset mentio, vterque mox omnem pecuniam, quam in numerato habebat, Bassæ repræsentauit, arma & vestes inter cæteros distribuit, hac addita obtestatione, vt vel in gratiam recepti humaniter tractarentur; aut si hoc denegaretur, sine longiori mora è medio tollerentur. Primis itaque diebus aliquot comiter habiti; sed Bassa iam digresso, in vincula coniecti, & pane & aqua cibati, miseram vitam egerunt. Terskius imprimis, qui carceris squalore ad morbum accedente, vitam paucos post dies finijt. Eius morte cognita, Bassa custodem, qui captiuos tam inhumaniter tractarat, in carcerem coniecit, similique affecit pœna: Kinskium laxiùs haberi iussit: funus verò Terskij ipse cùm omni familiarium numero (in quo etiam Kinskius fuit, vtroque crure graues gestans compedes) prosequutus, terræ mandauit, apposito cum honorifica inscriptione cippo.

Non multò pòst nostri obsessis, sed serò nimis, opem laturi, non procul ab Agria castris positis, cruenta aliquot prœlia cum Turcis miscuêre: quum verò recuperandæ tum quidem arcis spes nulla esset, paullò pòst in hyberna concesserunt. Ex eo die Agria (quamuis ex oppido vix quidquam præter rudera superfit) in Turcarum potestate permansit.

SOLNOCVM.

EX omnibus arcibus ac præſidijs, quæ Turcæ hoc tempore in Hungaria tenent, vix vllum eſt Solnoco non tam operibus quàm natura ac ſitu magis firmum atq; opportunum. Arx eſt cum oppido, & illa quidem longè hac munitior; vtrumque foſſa vel potiùs canali Sagiæ fluminis ab inuicem ſeparatur. Ad Orientem Tibiſcus fluuiorum qui vſpiam ſunt piſcoſiſſimus ac nauigabilis præterlabitur; ab Euro-Auſtro Sagia itidem nauium mediocrium patiens, ad hanc ipſam arcem triplici canali in Tibiſcum ſe effundit: quorum vnus oppidum ab arce, vt diximus, ſeparat, ſecundus verſus Septemtriones eidem arci pro foſſa eſt, vnà cum tertio verſus eandem plagam aliquantò remotiori inſulam conſtituit amœniſſimam, hortis & pomarijs mirificè excultam. Ager ipſe citra & vltra vtrumque fluuium itidem hortis, vineis & arboretis conſitus, tum delectationi, tum vitæ vſibus totus inſeruit: is denique huius loci genius eſt ac natura, vt commodior optari vix queat: eoque factum, vt quum Turcæ minùs accurati ac ſumptuoſi ſint in exſtruendis ædibus, hæc tamen & arx & oppidum elegantibus tam publicis quàm priuatis ædificijs exornata ſint. Ad munitionem quod attinet, certè vix vlla eſt in tota Hungaria, cui Turcæ magis fidant, non tam, vt diximus, ob mœniorum firmitatem, quàm vtriuſque fluminis opportunitatem.


Supereſt vt quomodo in Turcarum venerit poteſtatem, indicemus. Temeſuaria & Lippa Tranſyluaniæ oppidis, multiſque alijs caſtellis Anno M.D.LII. occupatis, Ferdinandi quoque regis copijs ad Drægelam circumuentis ac profligatis, Aly Baſſa Turcici exercitus Imperator tot proſperis ſucceſſibus elatus, ad Beglerbegum & ipſum Sultanum ſcribit, ſi Solnocum & Agria in poteſtatem redigantur, facilè totam Hungariam Turcarum ditioni acquiri poſſe: ſe igitur, vt poſthac nihil victoriam moretur, vtrumque obſidere decreuiſſe, nec de expugnatione dubitare, quòd exploratum haberet, fuſo nuper Ferdinandi exercitu, nullum adfore ſubſidium, quo Chriſtiana res ſubleuetur. Hoc conſilium quum Sultanus approbaſſet, Aly Baſſa Solnocum obſidione cingit. Erant ibi in præſidio trecenti Germani, ducenti Hungari, centum Bohemi, & Hiſpani quinquaginta. Principio ſtatim oppugnationis Hungari ſarcinas ſuas collectas plauſtris impoſuerant, quaſi mox fugam inituri. Ea re moti Germani & Bohemi, Præfectum adeunt, & quandoquidem Hungari ad fugam ſe parent, nec ſe quidem manſuros indicant. Ille Hungarorum factum excuſans, minimè eos ad fugam ſpectare inquit, ſed ab incēdio, ſi quod fortè in ædibus oriatur, fortunas ſuas conſeruare velle, quas in tanta trepidatione conuaſare difficile eſſet. Quare ipſi potiùs ſecum diſpicerent, quomodo arcem contra vim hoſtilem tuerentur, quàm ignauæ fugæ prætextum quærerent. Quum hoc non ſucceſſiſſet, illi alia via rem aggrediuntur; & ſtipendia magno cum tumultu poſcunt. Hic quoque Præfectus eadem dexteritate vſus, argento ab amicis ſumpto, quantum cuique debebatur perſoluit, iterum obteſtatus, ne locum tam munitum tamque opportunum per ſummam ignauiam deſererent. Sed nihil eos mouere potuit, quò minùs fugam dies noctéſque intenti explorarent. Eius ineundæ commodiſſima ratio viſa eſt, ſi impoſitis in ſcaphas ſarcinis atque impedimentis in aduerſam Tibiſci ripam euaderent. Hoc illorum propoſitum Hiſpani Præfecto indicant, rogant, vt fugam commilitonum, quibus poſſit modis, impediat. Ille bono eos eſſe animo iubet: ſe enim cymbas omnes perforatas in profundum velle demergere. Interim Hiſpani dum vigilias circumeunt, Germanos cum impedimentis ad fugam paratos, Hungaros etiam eodem conſilio equis inſidentes conſpicantur. Accurrit mox Præfectus ab Hiſpanis admonitus; orat, obſecrat, ne ſe, ne regem, ne Hungariam, ne totam Chriſtianam rempublicam hoſti tam turpiter prodant. Sed illi ſurdis auribus hæc accipientes in cœpto perſiſtunt; & per poſticum arcis vi effractum erumpunt. Præfectus verò quòd ſceleris eorū particeps eſſe nollet, in arcem ſe condidit. Turcæ qui è proximo tumultuantium portaſque molientium ſtrepitum paullò antè audiuerant, tam repentinum ſilentium mirati, ad arcis portas quàm proximè ſubeunt, & admotis auribus vbi omnia ſilere animaduertunt, arcem, portis effractis, inuadunt, nihil in ea deprehenſum, præter Præfectum & vnum & alterum miniſtrum: è quo quum Aly Baſſa quæ acciderant cognouiſſet, fugientes illos inſequi iubet, & ad vnum omnes cædere; Præfectum verò, vt virum fortem, collaudat, comiterque habet. E fugientibus ij potiſſimùm perierunt, qui fugæ primi erant auctores: qui dum ſcaphas cœno & aquæ immerſas extrahūt & purgant, dum eas à terra propellunt, aut ab arena, in qua nimio onere depreſſæ pleræque ſubſederant, moliūtur, à Turcis ſuperuenientibus oppreſſi perierunt. Hungari tamen vadum nacti, plerique euaſerunt; itemque Hiſpanorum multi, dum Turcæ Germanos cædunt, in aduerſam ripam enatarunt. Hoc modo citra vllum ſuorum ſanguinem Solnoco potitus Aly Baſſa, locum ſtatim tam operibus, quàm valido militum præſidio diligentiſſimè communiuit, cuius opportunitas Turcis deinde ad multas magnaſque res feliciter gerendas adiumento fuit.


ZOLNOCK
Superioris Hungariae ciuitas.
OCCIDENS.
Sagia flu:
vulgo Zagiwa.
Tybiscus flu:
vulgo Teyßa.
ORIENS.
A. Oppidum Zolnock.
B. Arcx Zolnock.
C. Waßer door, siue aquae porta.
D. Sepultura Turcorum.
E. Waßer molen.
F. Via Erlam versus.
G. Balneum turcicum.
H. Habitatio Sacerdotis turcici
I. Templum Turcicum, Mesquata vulgo.
K. Domus gubernatoris, vulgo Beghi.
L. Domus Weydæ.
M. Domus Weydæ in oppido.
N. Via versus Hatwan.
O. Via versus Acx.
Communicauit Geor. Houfnaglius acceptum aliunde. A° 1617.

TATA, vulgò, TOTIS.

QVAE vulgò Totis, Hungariæ arx, dicitur, Tatam vero nomine appellandam, ex Hungaricarum rerum monumentis constat. Aiunt enim Geysa Duce Hungariæ imperium moderante, virum quendam eximio Christianæ religionis zelo flagrantem, è nobilissima Sonseuerinatum Comitum familia, Theodatum nomine, Italia eiectum in Hungariam venisse, breuique & pietate & prudentia sua maximam sibi apud Geysam Regem existimationem conciliauisse, vt pro singulari, qua ab eo colebatur obseruantia, ad filium Stephanum è sacro fonte leuandum pater lustricus fuerit adhibitus: à quo deinde sacrosancti patris iure semper vernacula Italorum lingua reuerenter *Tata*, id est, Pater, salutatus est. Is quum postea Regis liberalitate adiutus, Monasterium cum adiuncta villa exstruxisset, *Tatam* vtrumque nominari voluit. Locum hunc in arcis formam redactum, & sequentes Reges, & inprimis Matthias Coruinus, ita exornarunt, tantisque exstruxerunt impendijs, vt Bonfinius scribat, eam omnibus sui temporis arcibus potuisse anteferri: quam idem dicit, hinc lacu, hinc duplici fossa, exciso saxo & erecto aggere ita fuisse munitam, vt nulla ex parte potuerit oppugnari. Quanta verò huius Arcis & amœnitas fuerit & magnificentia, idem ostendit, inquiens: *Si vltra progrediaris* (Vicegradum intelligit, à qua versus Batonios montes non longè abest) *Tatam offendes, quæ meo iudicio cæteris arcibus anteferri in tanta breuitate potest. Hic enim perpetuo crassoque aggere conuallium aqua sistitur, stagnat, ac lacum iugerum septenorum ferè millium efficit. Pistrinæ ad emissorium aquæ frumentariæ ex ordine nouem: quæ arci sanè cohærent, & numquam bello auferri queunt. Arcis forma in ostragali speciem, duplici muro, propugnaculis & fossa munita: breuis inter porticum area; quam auratæ cœnationes, magnificaque cubicula circumstant: laqueatæ contignationes, multo auro cælaturaque conspicuæ. Emissa lacu aquæ sæpe resistitur, & piscinas haud inuita facit innumeras, magna luporum & carponum copia. Duo vtrimque pagi non ignobiles, duæque basilicæ. Circumstant saltus quoquouersum patentissimi, qui non mediocrem ferarum copiam alunt.* Et hæc quidem arcis huius Antonij Bonfinij tempore fuit facies: quam sequentia bella, vt & pleraque alia regni huius oppida & arces planè deformarunt: eaque quæ hodie restat, è ruderibus antiquæ est restaurata, oppido, quod olim adiunctum habuit, omninò deleto. Et illa quidem terreis aggeribus & ligneis sepimentis, pro more gentis, contra vim non maximam satis munita est. Quum verò vnà cum Vesperino ac reliquis eius tractus arcibus, Solymano imperante, in Turcarum venisset potestatem, multa sanè Christianorum rebus incommoda attulit: donec tandem celebri illa expeditione, quam Maximilianus II. Imperator, & Germaniæ, & Italiæ Principum ac Rerumpublicarum auxilijs adiutus, contra Turcas in Hungariam Anno M. D. LXVI. suscepit, ac satis feliciter perfecit, ab Eccio Salmensi Comite, Iauarini tum Præfecto, expugnata est. Is enim quum ex oppido siue arce hac, vtpote inter Iauarinum & Comaram sita, proximis locis plurimum damni atque incommodi inferri, ac victoriam, qua vicinas aliquot arces, Vesperinum inprimis occupauerat, inutilem penè reddi animaduerteret: pridie Calendas Sextilis prima luce Iauarino cum suis copijs egressus, ad mœnia castra posuit: ac statim è præsidiarijs aliquem facie ac nomine sibi notum, ad se euocari iussit, publica fide incolumitatem ac liberum ad suos reditum spondens. Is ergo assentientibus præfectis ac commilitonibus ad Salmensem egressus, cum his mandatis remissus est: Si arcem quamprimùm dederent, & vitam, & fortunas eis omnes saluas permissurum; sin vim expectarent, nemini viuo se parsurum esse. Ad hæc ille, Nullam spem esse aiebat, commilitones ad hanc descensuros conditionem, præsertim quum Budensem Præfectum cum validis auxilijs in propinquo esse scirent. Indicaturum se nihilominus quæ iussisset: rogare verò ne interim quidquam hostile tentetur; id vt ex altera quoque parte fieret, sedulò se curaturum. Quum verò ad horam condictã miles non adfuisset, Salmensis admotis copijs, magna vi oppugnationem aggreditur, nec minùs strenuè obsessi ad defensionem sese comparant: vtrorumque tamen conatus nox ingruens diremit. Ea nocte opportuno loco dispositis tormentis, Salmensis cum prima luce verberationem instituit tanta vi atque impetu, vt magnam valli partem intra horas aliquot disiecerit: sed hostes in reparandis ruinis, ac cuniculis, qui interim non minùs strenuè agebantur, contraria suffossione excipiendis, tantam adhibebant diligentiam, vt vix oppugnationi locus iam relictus videretur. Salmensis nihilominus Villarduno mandarat, vt cum suis copijs arcis muros disiectos adoriretur: verùm perspecta periculi magnitudine, tutiorem oppugnandi rationem excogitauit. Quum enim millenos cum scalis & alio ad oppugnationem necessario apparatu duobus locis summisisset, ipse cum duobus selectorũ millibus portã aggreditur; dataq; omnibus simul oppugnandi tessera, dum Turcæ ad ruinas, vim propulsaturi, accurrunt, effracta porta, irrumpit, & obuios quosque cædit: nec quisquam euasit, præter quinquaginta, qui turri se incluserant, ac vitæ incolumitatem pacti, sese dediderunt: in quibus & ipsius arcis & Vesperini erãt Præfecti, ac quidam alij primarij, quos Salmensis Viennam ad Cæsarem transmisit.

Ex illo tempore ad annum vsque M.D.XCIV. Tata in Christianorum potestate permansit: quo quidem anno Sinan Bassa, Iauarinum obsessurus, vt à tergo pacata omnia relinqueret, eam nullo negocio expugnauit, postea magno cum rei Christianæ incommodo, Iauarino quoque potitus. Vtrumque tamen diuina benignitas, sine vllo ferè cruore aut labore, Tatam quidem Anno M.D.XCVII. Iauarinum verò Anno M. D. XCVIII. stratagematis beneficio restituit. Rei apud illam gestæ series sic se habet: Bernstenius, Palfius, Pezius, viri fortes, quum eius arcis inuadendæ cepissent consilium, milites & reliquum apparatum nauibus imponunt, & Comara secundo flumine dilapsi, ad Almasiam pagum exponunt: sed vi ventorum & imbrium frequentia impediti, eam noctem per quietem ibi agunt, tam prudenter dispositis excubijs, vt nulla indicia ab hostibus potuerint deprehendi. De media nocte inde profecti, primo tres milites Turcicæ linguæ peritos portis adequitare iubent:


DOTIS
DOTIS Vngaris THATA Arx, Inferioris Vngariæ, loci oportunitate, et opere munitissima
Communic: Georg: Houfnagel.

iubent: poſt hos inſtrumentum pyrobolare(Petardam vulgò vocant) currui eum in vſum facto impoſitum vehebatur, adiunctis qui ſcienter id portæ admouerent, & maturè ignem ſubijcerent, alijs etiam, qui ſcalas & reliquum apparatum ferrent. Velites tres, quos præmiſſos diximus, Turcæ excubitores inclamant; cuiates ſint rogant. Edocti illi, Iauarinenſes ſe eſſe ſimulant: Buda venire: Solymano Garbaſiæ Iauarini Præfecto commeatus ab Achmete Aga iuſſu eius coemptos aduehere, de via feſſos pauliſper velle quieſcere. Hoc reſponſo contenti, mandant, ne manè priùs diſcedant, quàm Arcis Præfectum(Begum) conueniſſent. Illi facturos ſe recipiunt; illud etiam addunt, litteras ſe ad eundem ſcriptas habere, eas ſe manè oblaturos. Durante hoc colloquio, Bernſtenius pyrobolum rotis actum propelli iubet. quod vigiles conſpicati: Quid, inquiunt, vos carrum portis obſeratis in pontem ſubducitis. Reſpondent illi, facere ſe id metu Haiduccorum: à quibus ſi fortè inuadantur, commodiorem ſibi hunc fore ad defenſionem locum. Inter hæc admota machina & igne ſubdito, horrendo cum tonitru portæ diſſiliunt, pons penſilis diſſipatur. Mox noſtri ponte, quem ſecum aduexerant, foſſis iniecto, per aperta introrumpunt, alij alibi per ſcalas in mœnia enituntur. Cuſtodes arcis, qui primo impetu non oppreſſi, qua quiſque poterant, ſaluti ſuæ conſulunt: è decem, qui in foſſas ſubiectas ſe deiecerant, quatuor ab equitibus excubias agentibus deprehenſi, vnus dorſum caſu fregerat; reliqui per arundineta, tenebrarum beneficio, elapſi. Qui reſtabant, turri incluſi, qua poterant ratione oppugnantium impetum aliquamdiu ſuſtinuerunt; ſed circumuenti tandem & multitudine oppreſſi, ad vnum omnes vel capti ſunt, vel interempti. Hæc facta ſunt x. Maij die. Præſidio arci impoſito, & de proximis locis apportata annona, captiuiſque, inter quos Begus cum vxore erat ac liberis, abductis, gratiæ Deo actæ.

Sed minimè diuturna Chriſtianis hæc fuit lætitia. Eo ipſo enim anno noſtris ad Comaram deſidentibus, Turcæ ad Tatam poſitis caſtris, ſumma vi arcem oppugnant. Eam Chriſtophorus VVeida cum ducentis quinquaginta circiter præſidiarijs tenebat. Is etſi boni ducis officium magna animi virtute explebat; tamen cedere tandem ac ſuæ & ſuorum ſaluti conſulere eſt coactus. Nam & aſſiduè ſine vlla intermiſſione fulminabant Turcæ, & patefacto aditu, multoties irrumpere conati, præſidiariorum virtute ſemper ſunt repulſi. Interea cuniculis actis, ſubiectoque puluere, vnum ex arcis propugnaculis conuellitur, magnamque ſecum ruinam trahit. Periculo iam propiore commoti milites, quorum bona pars perierat, ſuperſtitum alij vulnerati, alij puluere afflati, & ruina perculſi, vix ſatis ad arma tractanda virium habebant, Præfecto periculum oſtendunt, & ne ſe & vniuerſos in præſens exitium præcipitet, monent. Communicatis igitur conſilijs, noctu clanculum per pſeudothyrum ſeu poſticum ex aduerſa arcis parte egreſſi, magno cum ſilentio Danubium petunt. Interim hoſtis arcem ſummis viribus oppugnat, ac militem per ruinas(nam alterum quoque propugnaculum vis pulueris diſſiparat) immittit. Vbi verò arcem defenſoribus vacuam, ſeque eluſum animaduertit, ad prædam intentus miles vndique diſcurrit, quæ tamen exigua admodum fuit, omnibus à præſidiarijs, præſertim m[illegible] nis æneis, corruptis. Mox puluis à diſcedentibus fomite attemperato idoneis locis [illegible] ignem concipit, & obuijs quibuſque diſiectis ac diſcerptis, magnam [illegible] ſtragem edit. Et hæc quidem Tatæ hactenus f[illegible] quæ etiamnum cum bona Hun[illegible] parte ſub Turcica gemit ſeruitute.

PAPPA.

PAPPA Inferioris Hungariæ oppidum , non procul à Bakone ſylua longiſſima,& montibus, quibus noſtrates à Clypeis nomen indiderunt(vulgo Schiltberg) ſitum, variam,non minùs quàm plura alia eius regni oppida,fortunam expertum eſt. Olim quidem non magni fuiſſe nominis,illud indicio eſt,quòd nulla penè eius apud antiquos Hungaricarum rerum ſcriptores mentio exſtat. Vnde credibile eſt, ſuperioribus cum immaniſſima Turcarum genre bellis demum muniri cœpiſſe, inuitante loci ipſius natura,ac ſitu ad hoſtium reprimendas excurſiones peropportuno. Ab ortu enim & ſolum paludoſum , & lacus non exiguus,piſcium copiam oppidanis abundè ſuppeditans,ei prætenditur:ad cuius veluti exitum , &ad portam,qua Albam regalem itur,Arx viſitur,& intra oppidum ſuis etiam munitionibus ſeparatim incluſa. Vallum quo oppidum cingitur, terra aggeſta,loricæ verò ligneis ſepimētis firmiſſimo opere è vimine & ſalicibus contextis, ac terra oppletis conſtant:quod quidem munitionum genus contra machinarum ictus ſatis eſt validum , ac longè tutius quàm murorum ſubſtructiones:quæ diſperſis ſaxis facilè & ſtragem inter defenſores dant , & vno caſu latam ruinam trahunt.

Porrò Arx hæc quum hactenus Chriſtianorum in Hungaria rebus non parum adiumenti ac præſidij attuliſſet,tandem Anno M.D.XCII.vnà cum Siſſeccio, Veſprimio , & Palotta, à Sinane Baſſa continuatis victorijs expugnata,in Turcarum conceſſit ditionem;non ſine deteſtanda transfugarum quorundam perfidia, qui facilioris oppugnationis modum,& loca oppidi minùs munita hoſti commonſtrarunt. Quòd ſi nihilominus reliqui ea,qua par erat,fide ac conſtantia in propugnando vſi fuiſſent,multo adhuc ſanguine expugnatiò illa conſtitura fuiſſet. Sed & hi ignauiæ ſuæ graues pœnas luerunt. Pacti enim,vt tradita arce, cum impedimentis & armis liberi dimitterentur,in itinere à Turcico equitatu circumuenti,ferè omnes perierunt, pauciſſimis,quibus fuga & latebræ ſalutem dederant,elapſis.

Quinquennio poſt,Anno nempe M.D.XCVII. dum in Hungaria bellum inter Chriſtianos & Turcas acerrimè geritur, Maximilianus Archidux,cui ſummam rei militaris Imperator Rudolphus frater demandarat, collectis circiter viginti quatuor armatorum millibus , Nadaſtum & Colonitſium ad itinera exploranda præmittit:qui quum in ducentos Ianitſaros incidiſſent,octoginta eorum cæſis,reliquos , & in ijs duos Agas captiuos ad Archiducem adducunt. Quorum indicijs edoctus Archidux, Pappam obſidere decreuit. Cuius quidem obſidionis XIV. Sextilis die factum eſt initium:eaque tanto ſtudio fuit continuata, vt breui ad hoſtium munitiones peruentum ſit:quibus tormentorum vi conuulſis,milites aliquot immiſſi,Morſpurgio & Roſvvurmio ducibus:ſed non ſine vulneribus reiecti. Et ducum vterque quidem vulnus in conflictu accepit ; ſed ille lethale. Ad famam aduentantis Turcarum exercitus,qui obſeſſis ſubſidio miſſus ferebatur, iterum cœpta eſt oppugnatio,tanta militum alacritate,vt cum Turcis acriter ſeſe defendentibus,oppidum captum ſit. Præſidiarij in arcē ſe receperant,in qua quadringenti è Chriſtianis captiui aſſeruabantur. Horum vitæ vt parceretur, Turcis permiſſum,vt cum omnibus ſuis fortunis incolumes abirent. Interea VValones in arcem irrumpunt, omniaque ferre,agere , rapere incipiunt. Ad hos igitur continendos Ederus militum tribunus cum alijs duobus ſignis arcem cuſtodire iuſſus. Turcæ VValonum vim metuentes,confuſis ordinibus,arce egrediuntur, quorum loculis excuſſis,auri aliquid apud eos repertum. VValones ergo ſpe prædæ allecti, inuitis ducibus dedititios concidunt, conciſos veſtibus ſpoliant,& ſarcinis direptis,nuda ac lacera cadauera, immani ſpectaculo,relinquunt. Baſſam ægrè ſeruatum,& militum furori ereptum cum ijs qui ſupererant(erant autem centū circiter & ſexaginta) deducere iuſſus Colonitſius,& Hoffkirchius cum Auſtriacis ſignis in arcem introductus. Vix mille paſſus progreſſi fuerant Turcæ,quum ecce turris quædam,in qua magna vis ſulphurei pulueris erat repoſita, tanto cum impetu & fragore conuellitur,vt non modò maior arcis pars labefactata,verùm etiam ducenti circiter præſidiarij, cum multis captiuis Chriſtianis ambuſti fuerint & ruina oppreſſi,Hoffkirchio etiam grauiter vulnerato. Incendium hoc quum Turcarum fraude præparatum multi ſuſpicarentur;ſtatim miſſi ſunt, qui è via eos retraherent:ac niſi multis argumentis facti conſcientiam ac culpam à ſe remouiſſent,ad vnum omnes internecione fuiſſent occiſi. Caſus hic præterquam quòd arcem vehementer deformauit,quidquid reliquum commeatuū erat,quoque abſumpſit. Septem Bribegi(ſic transfugas & exploratores vocant)in arce comprehenſi, vſitato apud Hungaros in proditores ſupplicio,palis transfixi,in ſummis cruciatibus vitam miſerè poſt longam moram effuderunt.

Porrò ijdem illi,qui,vt diximus,Turcas contra fidem datam inuaſerant ac ſpoliarant,triennio pòſt oppidum hoc & arcem per ſummum ſcelus ac perfidiam Turcis prodiderunt. Præſidio enim circiter mille ac ducenti ex ea natione ibi relicti,quum ſerius aliquanto ſtipendia ſoluerentur,nec alimoniæ magna eſſet copia, tumultuari,imperiumque detrectare cœperunt:quumque id agi animaduerterent, vt inde abductis nouum præſidium ſubmitteretur,cum Turcis egerunt,vt certa pecuniæ ſumma ſibi numeraretur, ipſique tradito loco in tuta deducerentur. Spem quoque faciunt,ſe ducem ſuum *Schvvartzenbergium*, recenti Iauarini expugnatione tum maximè celebrem,qui ad comprimendam ſeditionem cum magna vi pecuniæ propediem venturus dicebatur, intra oppidum recepturos:eiſque poſtea tradituros:aut ſi id Turcis minùs placeret, ad Ziſneccam viam obſiderent,nec de conſilij euentu dubitarent. Poſt hanc tractationem , tribunos & centuriones omnes officio deiecerunt,& è ſuorum numero quendam,Lamottam nomine,ducem ſibi conſtituerunt: Michaelem Marotum loco Præfectum,cum omni familia in vincula coniecerunt:niſi quamprimùm Lytron,quod ipſi dixerant, perſolueret;Turcis in ſeruitutem cum ſuis omnibus eum dedituros interminati. Mox Turcas captiuos liberant, & ipſius Præfecti armis veſtibuſque exornatos Albam regalem mittunt:domibus omnibus direptis, prædam vnum in locum comportant:vexillum Cæſareanum Turcis tradunt:ac tandem poſt multas vltro citroq; actiones pro-


Acceptum a Philippo Fernandeo:
Septentrio.
PAPA. Inferioris Hungariæ OPPIDVM.
Communicauit G. Houfnaglius.
A
B
C
D.
E.
F.
G.
G.
K.
Meridies.
A. Daſs Schloſs.
B. Weiſsenburger thor.
C. Raber thor vnd weg.
D. Edenburger weg.
E. Der Teych.
F. Teych thorr.
G. Bemoſs.
H. Mull:
I. Der Teych ablaſs.
K. Hie iſt der Kriſten leger gelegen.
Aº 1617.

nes proditionis mercedem paciſcuntur. Turcæ fraudem ſuſpicati, primùm cunctantiùs agebant: ſed tot tamq; manifeſtis defectionis ſignis ſe prodentibus, occaſioni minimè defuerunt. Ne tamen damnum aliquod nimia credulitate acciperent, copias confirmant, vt ſi fortè noſtri eos inſidijs aggrederentur, auxilia in promptu haberent. Schvvartzenbergius aſſumptis binis equitum peditumque millibus, Pappam verſus proficiſcitur: cumque iam duobus milliaribus abeſſet, viginti quatuor equites præmittit, qui monerent præſidiarios, vt ad officium redirent, ſpemque facerent, fore vt propediem quidquid ſtipendiorum nomine ipſis debebatur, omne perſolueretur. Hos Pappienſes conuicijs & ludibrio exceptos abegerunt: nec quidquam propius fuit, quàm vt eoſdem inuaderent & diſcerperent. Sic ergo Schvvartzenbergius hac ſpe deſtitutus, ſimul aquarum illuuione progredi prohibitus, Iauarinum retroceſſit. Inter præſidiarios interea maxima diſſidia exſtiterunt, adeo vt ad manus fuerit peruentum, & paſſim multæ cædes perpetratæ. Cauſſa erat, quòd nonnulli deditioni ſeu cum Turcis pactioni minimè aſſentiebantur, non quòd fidem Imperatori ſeruare vellent, ſed quòd proditionis merces nondum tota eſſet deprompta. De hoc monitus Schvvartzenbergius, Scharpffenſtænum XXII. Iunij, cum multo inſtrumento militari, & tribus peditum millibus præmittit, & fortunam experiri iubet. Eos perfidi muris ſuccedere patiuntur, quaſi abiecto propugnandi conſilio, vltro etiam vt accederent hortantur. Stare enim ſe cum ipſis, & libenter intra oppidum recepturos, vt communi auxilio proditoribus reſiſtant. Sed mox ſcalis deiectis, quoſcumque poſſunt, commilitones ſuos & populares interficiunt, exprobrantes, quòd hanc fortunam Germanis præriperent, ſeque primos periculis obijcerent. His ita repulſis, Turcicos frumẽtatores intromittunt, & plauſtris exoneratis, Chriſtianos captiuos, cum magna imbellis ætatis & ſexus turba imponunt, & Veſprimium Albamque regalem in miſerrimam ſeruitutem (O ſcelus! O inauditam perfidiam!) abduci curant. Interea Marotus occultis nuncijs Schvvartzenbergium monet, vt quandoquidem præſidiarijs non ſatis inter ſe conueniret, occaſione vteretur, & ſi ſtratagemate intercipere arcem non poſſet, vi aggrederetur: ſimul locum deſignat contra vim non ſatis firmum, per quem facilè aditus aperiri poſſet. Ille ergo coactis nouem circiter millium armatorum copijs, XII. Quintilis caſtra ad Pappam ponit, & tormentis diſpoſitis magna vi muros quaſſat. Perfidi aliquoties eruptione tentata, ſemper cum damno ſunt repulſi. Vni è centurionibus ipſorum capto, cutis viuo fuit detracta, & cum capite infixo, è lancea ſuſpenſa, & ad terrorem publicè oculis præſidiariorum expoſita. Non multò pòſt Schvvartzenbergius molam, quæ ad arcem eſt, expugnauit, licèt acerrimè eam defenderent perfidi, quòd per eam quouis tempore magnum præſidium intromittere poſſent. Turcæ interea de perfidorum edocti periculo, magno ſtudio ad obſidionem ſoluendam neceſſaria comparârant: ſed quum alia, tum maximè inundatio è continuis pluuijs orta, quominus in tempore adeſſent, eos impediebat. Et noſtri non machinis tantùm, verùm etiam cuniculis, aliiſque operibus obſeſſos oppugnabant: adeò vt iam aqua è foſſis deriuata, facilis aditus breui patefieri poſſe videretur. Summa præterea apud obſeſſos erat alimoniæ inopia. Nec enim vinum, nec panem, ſed ſalis aliquantum, & ſexaginta equos habebant; quibus in cibum diſtributis, miſerrimam vitam ſuſtentabant. Quum ad veniam nullum ſibi eſſe receptum intelligerent, mortem potiùs fortiter pugnando oppetere, quàm expectare, dum per ſummum cruciatum & ludibrium vita ipſis eriperetur, decreuerunt. Noctu igitur pridie Calendas Auguſti, eam partem caſtrorum, vbi Merſpurgenſes ſtationem habebant, inuadunt, milites temulentos partim ſternunt, partim in fugam agunt, & terrore omnia complent. Tumultu excitus Schvvartzenbergius ad eam partem, qua maximè ſui laborabant, aduolat, dumque neceſſaria procurat, glande plumbea ictus cadit. Eius mors magnum in caſtris excitauit mœrorem. Reliqui duces nihilominus cœptam obſidionem vrgebant, nec minùs alacriter obſeſſi ſe tuebantur. In Schvvartzenbergij locũ ſuffectus fuit Melchior Rederus. Iam obſeſſi deſperata loci defenſione, & ſumma annonæ preſſi inopia, fugæ conſilia inibant: ac tandem IX. Sextilis duabus ante Solis ortum horis, per ſtagnum aqua emiſſa penè ſiccum, exitum tentant, & quum ſolum vliginoſum onus non benè ferret, è cratibus, ſaccis aliaque materia viam ſibi muniunt. Rederus de fuga ipſorum admonitus Nadaſtum, Thurnium Comitem, Colonitſium cum leuis armaturæ equitibus fugientes inſequi & comprehendere iubet. Illi iam ad ſaltum vſque penè euaſerant; ſed in ipſo aditu interclusi, & magnam partem ibi cæſi ſunt. Lamotta perfidorum caput Colonitſio tradere ſe recuſans, glande traiectus occubuit. Eius legatus cum alijs quibuſdam ſeditioſorum anteſignanis captus eſt. Dum perfidi in fuga toti ſunt, Marotus alijque, excuſſis compedibus, per arundinetum in caſtra euadunt. Cæſariani à perfidis deſertum ingreſſi oppidum, captiuos liberant, mox perfidorum reliquias ad internecionem vſq; ferro delent. E captiuis cognitum, ſex tantùm primos fuiſſe cum Turcis tractationis & proditionis auctores; ſed poſtea demum communibus ſuffragijs omnia acta: in quæ qui conſentire recuſaſſet, è veſtigio fuiſſe confoſſum.

Captiui, quòd omnia diuina & humana violaſſent, per arces & præſidia diſtributi, horrendis ſupplicijs fuerunt excarnificati. Hoc pacto nefariè tentata proditio, acerrimè vindicata eſt: cuius hiſtoriam, vt quæ non pauca memoratu digna complectatur, fuſiùs hîc repetere nobis non abs re viſum eſt.

PETRINA.


ARX hæc est Croatiæ seu Liburniæ, non quidem magni nominis, commodissimo tamen loco ad Colapis seu Culpæ & Petrinæ confluentes sita; ab hoc etiam nomen sortita. Idem quod pacis Anno M.D.XCII. à Turcis ruptæ, ei seruitutis fuit initium: quo tempore Amurathes Persici belli metu liberatus, nostris nihil tale metuentibus Assanem Bassam cum valido exercitu ad Croatiam oppugnandam misit, loci ductus opportunitate, quòd inde non in Germaniam tantùm, sed Italiam quoque commodissimus sibi futurus aditus videretur. Is igitur primùm Castrouitium proditione, Vihitium deinde vi cepit, editis vtrobique magnæ crudelitatis exemplis. Impositis præsidijs, Petrinam Castellum, paruum illud quidem, sed rebus suis valdè opportunum, ibi loci, vbi adhuc visitur, excitauit, & quantum potuit muniuit: tum ponte Colapi flumini imposito, ac traducto exercitu, quidquid agri fluuium hunc & Sauum interiacet, diripuit ac vastauit. Ad famam hostis tam vicini Stiriorum ad duo circiter millia coierant: sed dum incautiùs agunt, quàm in tanta paucitate par erat, ad vnum omnes cæsi perierunt. Magnum hæc clades Christianis earum regionum incussit terrorem. Quocirca ad prohibendas hostium populationes, Thomas Erdodus Slauoniæ Banus, cum septem armatorum millibus inter Vihitium & Carolstadium castra locat, ex aduerso pontis, quem Colapi à Turcis impositum diximus: sed ab Assane Bassa circumuentus & tormentis omnibus amissis profligatus, omnem Duropoliam hosti diripiendam reliquit. Hoc successu elati Turcæ, Sisseccium permunitum oppidum iusto exercitu oppugnant; sed graui accepta clade, omnem ferè superioris victoriæ fructum corruperunt. Verùm enimuero quàm varia belli sit fortuna, quàm incerti euentus, ea quæ circa hanc arcem paucis mensibus gesta sunt, satis docuerunt. Dum enim Cæsarea Maiestas Germaniæ Principes ac Ciuitates de auxilijs per litteras & nuncios interpellat septem armatorum millia ad reprimendos Turcarum conatus, Thoma Hertelio, Georgio Gleicspachero & Dionysio Denckio ductoribus, mittuntur. Sed quum ad Colapim fluuium non procul à Petrina castra metati, paullò negligentiùs agerent, quòd ab exploratoribus Turcas retrocessisse relatum esset; subito hostium aduentu oppressi, ægrè arma expediunt. Instructa tandem vtrimque acie, primum hostium impetum leuibus velitationibus acriter excipiunt; sed pugna inualescente & superante hostium multitudine, omnes eodem in vestigio, quod pugnantes ceperant, ceciderunt; ex omni numero vix octoginta elapsis, præter militum præfectos, qui fatali quadam ignauia plerique omnes fuga maturè sibi prospexerunt; sed capti postea & capite plexi, iustas pœnas dederunt. Non tamen incruenta hæc Turcis fuit victoria, quorum multò plures quàm Christianorum desiderati eo in prælio dicuntur. Multa iam hyeme, Turcæ Petrina egressi, maximis cum laboribus & periculis Nobilis cuiusdam arcem, omnis generis præda, à rusticanis eò tamquam in tutiorem locum congesta, refertam diripuerunt. Idem non multò pòst tentarunt alij, sed non pari successu. Glacie enim fracta, in aqua omnes perierũt, & qui prædæ inhiarant, Neptuni pecori ipsi prædæ fuêre. Primo-vere sequentis anni idem Assan Bassa Sisseccium iterum obsedit; sed multò infeliciori quã antea euentu, vt qui non exercitum tantùm, verùm etiam ipsam vitam, cum plerisque, qui partem aliquam muniorum bellicorum administrauerant, & ipsius Amurathis ex sorore nepotem amiserit. Hac occasione Cæsareum ad prosequendam victoriam exercitum Petrinæ oppugnandæ admouent. Sed quia continuæ erant pluuiæ, obsidio aliquot diebus fuit dilata, quòd machinæ bellicæ & commeatus, vijs cœno profundis, difficillimè aduehi possent. Tandem comportatis omnibus, obsidij fit initium: mœnia quinque continuos dies verberantur. Nec verò segniùs hostes ex arce & castris tela spargebant, miscentur quotidie velitationes leuioresque aliquot pugnæ; ad summam rei tamen nihil proficitur. Tandem obsidentes traductis per nouum pontem, quem super Colapim exstruxerant, copijs, Turcas suis in castris adoriri decreuerant; verùm quum Græciæ Præses ad ferendam obsessis opem cum exercitu aduentare nunciaretur, ne quid detrimenti acciperent, militem in loca magis tuta deduxêre. Et ita tum quidem frustra tentata fuit Petrina.

Non multò pòst verò, nimirum Anno M.D.XCIV. dum Turcæ Iauarinum seu Rabam omnibus copijs oppugnant, Serenissimus Archidux Maximilianus, Stiriorum & Teutonici Ordinis, cuius Magister est, auxilijs adiutus, Petrinam, itemque Castrouitium, & illam quidem vltima Quintilis in suam redegit potestatem, Turcis plerisque, quibus nocturnæ fugæ consilium non successerat, interemptis. Magna hic bellici apparatus vis reperta, & inter alia machinæ grandiores triginta.

Postea Anno M.D.XCVI. Turcarum Imperator Mahumetes, tot cladibus & infelicibus suorum prœlijs, inprimis Strigoniensis vrbis amissione irritatus, cum ducentis armatorum millibus Belgradum, inde Budam peruenit, bellum ipse administraturus. Primum eius de Agria obsidenda fuit consilium: quã & non multò pòst cepit. Vt verò Christianos vndiq; distineret, Assanem Bassam Bosniæ Præsidẽ ex itinere cum viginti armatorũ millib. ad Petrinam obsidendam misit. Stirij igitur & finitimi populi, collectis omnibus viribus, ad opem suis ferendam itidem magnis itineribus Petrinam contendunt: sed quum in tanta celeritate exiguum apparatum bellicum secum



Acceptum ab amico depinxit et communicauit Geor. Houfnaglius Aº 1597.



cum apportassent, nec materiam ponti faciundo idoneam ad manus haberent, per quem copias fluuium Colapim traijcerent: Sisseccium digrediuntur, vbi Croatiæ Banus seu Prefectus iuridicus pontem tumultuario opere construxerat. Hostes fugere Christianos rati, Colapim incomposito agmine traijciunt, & in nostros impetum faciunt; quos illi mox expeditis armis instructisque ordinibus non fortiter tantùm excipiunt, sed fundunt quoque fugantque, & in Colapim præcipites agunt. Huius cladis fama tantam in Turcarum castris excitauit trepidationem, vt copijs magna ex parte dilapsis, solus Bosniensis cum equitum aliquot millibus & exigua Ianitsarorum manu remanserit. Post prœlium hoc Christiani Sisseccium eodem die profecti sunt; ibidemque per pontē è ratibus constructum copias traduxerunt, eo consilio, vt hostes in castris inuaderent, aut cum obuijs prœlio decertarent. Petrinam proficiscentibus sylua transeunda erat: per quam quum instructo agmine incederent, & iam dimidio à Petrina milliari abessent: Serdarem Bassam cum octo equitum peditumque millibus obuiam habuerunt Statim fit pugnæ initium, in qua quum vtrimque aliquam multi cecidissent, tandem Christiani victores euaserunt. E captiuis cognitum est, Turcarum castra planè esse deserta, tormenta omnemque apparatum bellicum aliò transportatum. Initio id credi non potuit: re postea verò comperta, læti nostri ad castra properarunt, quæ vacua inuenerunt, arcemque omni hostium metu iam liberatam ingressi sunt.


Et hæc quidem summa est eorum, quæ postremo illo inter nostros & Turcas bello ad Petrinam gesta sunt: cuius possessio quum ad multas res Christianorum rebus opportuna, & inprimis Croatiæ ac Stiriæ magno præsidio futura iudicaretur: Rudolphus Imperator Italum hominem Cæsarem Portam nomine, exstruendarum arcium valdè peritum eò misit, qui pristinam arcis ac propugnaculorum munitionem planè immutauit, tum nouam arcem vltra Colapim ponte iunctum excitauit, vt qui vtriusque effigiem inter se contulerit, vix veteris vestigia deprehensurus sit.

FANVM S. NICOLAI.

QVOD à S.Nicolao nomen habet oppidum, Turcæ occupato Solnoco, à quo non longo distat spacio, ad eam quæ cernitur formam munierunt, vt illis quasi propugnaculi vel antemuralis esset loco. Mœnia habebat satis valida, sex propugnaculis eminentibus, atque inferiori parte è saxo & latere constructis distincta: quibus fossa satis lata prætendebatur. Ad plagam Meridionalem Sal amnis præterlabitur. Ager tritici, vini, ac quorumuis terra nascentium ferax. Oppidum ipsum Turcæ insigni delubro seu Mosquita, balneis, alijsque tam publicis, quàm priuatis ædificijs exornarunt, & non paruis diuitijs cumularunt; frequenter inde ad prædas & rapinas egressi.

Huius possessionem quum Turcæ quadraginta & duos annos quietam possedissent: tandem Anno M.D.XCV. die XX. Octobris, inopinato ac veluti Panico terrore perculsi reliquerunt. Quum enim Cæsarea Maiestas Rudolphus II. bellum contra fœdifragos Turcas summis viribus gerere constituisset, & euocato è Belgio ad supremæ militiæ munus Mansfeldio Comite, Archiepiscopalem vrbem Strigonium obsidione cinxisset, vt hostis vndique distineretur, Maximilianus Archidux cum validis copijs Tibiscum ponte constratum traiecit, consilium è re nata & occasionem capturus. Ea de re quum trepidum ad præsidiarios huius ac vicinorum locorum perlatum esset nuncium, missis exploratoribus quum se peti vel coniecturis, vel indicijs accepissent; conuasatis quæ asportare poterant, ac quæ non poterant, corruptis, ne quid nostris esset vsui, igne subiecto ædes omnes tam publicas, quàm priuatas concremarunt; atque inde aliò, Solnocum maximè, dilapsi sunt. Id vbi Archidux intellexit, quum ob Solnoci & aliorum Turcicorum præsidiorum vicinitatem loci defendendi nulla spes esset, adducto propiùs exercitu, mœnia ac propugnacula solo æquari, fossam expleri, turres ac reliqua ædificia deijci, ac vicinum arci vicum incendi iussit, ne nouum latronibus in Christianorum perniciem receptaculum locus præberet.

Tantus verò tum, ob Strigonium, Vicegradum, aliaque magni momenti oppida & arces à Christianis occupata, Turcarum animos terror inuaserat, vt quæ olim maximis laboribus multoq; sanguine loca expugnauerant, non hic tantùm, verùm etiam alibi passim, ne viso quidem interdum hoste, deseruerint. Serenissimus certè Archidux, vt victoriæ insisteret, statim inde copiarũ partem ad Seruassium castellum misit: idque XXII. Octobris simili fortuna occupatum, trecentorum militum præsidio firmauit. Vigesimo autem quarto Octobris die, tribus inde milliaribus distantem arcem Bekesium, itemque aliam Erdegium nomine, similiter in potestatem suam redegit: sicque sex dierum spacio quatuor Turcis loca & satis munita, & tenentibus valde opportuna eripuit, atque ita liberum ijsdem inter Solnocum, & Giulam transitum seu commeatum interclusit.


SANCTONICOLAVM
Vulgo S. Nicolas oppidum in Superiore Hungaria prope Zolnochium quod ipsi met Turcæ (aduentante Ser.mo Maximiliano) igne cremarunt ac dereliquerunt. Anno Domini M.D.XCV. die XX. Octobris.
Communic. G. Hoefnaglius.
Occidens.
Via Seruasium versus.
Sal fluuius.

ZAROS.

ZAROS siue Saros, superioris Hungariæ, qua parte Septemtriones respicit, propugnaculum, tam natura quàm opere munitissimum, ab vna parte oppidum Eperies, ab altera Sibinium habet, tam vicina, vt illud quidem vix quinto lapide, hoc verò tantò altero plus distet. Situm est in monte edito, hinc syluis & virgultis impedito, illinc vineis exculto, vnde in subiectos agros amœnissimus patet prospectus. Radicem montis fluuiolus abluit, ad multas res, inprimis ad molendinorum vsum opportunus: citra quem vbi ager in planitiem expanditur, magnificæ villæ, cum hortis lętissimis, & adiunctis aliquã multis tugurijs, ad instar suburbij, visuntur. Ab altera parte regio ferè omnis in colles attollitur, quorum plures optimum vinum producunt. Læta hic tam ad aucupium & venationem, quàm pecorum pastum materies, vt & aliorum omnium, quæ ad vsum ac cultum vitæ pertinent. Olim quidem maximis cum totius Hungarici regni incommodis, Bohemorum latrocinijs vt tutam, ita diuturnam præbuit, vt ita dicam, Apothecam. Verùm vt res ipsa meliùs intelligatur, paullò altiùs nobis totius rei series repetenda est. Elisabetha Sigismundi Imperatoris Bohemiæ ac Hungariæ Regis filia Alberto Austriæ Archiduci nupta fuerat, & vterque post illius obitum Hungariæ regno sunt inaugurati; missaque legatione idem à Bohemis impetrarunt, quibusdam tamen renitentibus, qui Casimiro Poloniæ regis fratri regnum detulerunt. Vnde grauissimum bellum ortum: in cuius medio ardore Alberto mortuo, Elisabetha grauida relicta, præpropero consilio Optimatibus ipsa de eligendo nouo Rege, ac sibi marito, consilium proponit; quorum suffragia in Vladislaum Casimiri fratrem Poloniæ Regem inclinarunt. Regina non multò pòst puerum enixa, consilium illud suum ac procerum decretum irritum cupiebat. Sed frustra: quòd Legatis, qui Cracouiam iam venerant, res non ampliùs integra videretur. Illa nihilominus, magnatum aliquot adiunctis sibi studijs, puerum quadrimestrem, indito Ladislai nomine, Albæ coronari procurat: nec multò pòst coronam inaugurandis Regibus antiquitus deputatam, mirabili dexteritate, vnà cum puero ad Fridericum Imperatorem asportat. Inde in Hungariam reuersa, quum è proceribus præcipuos Polono fauere animaduertisset, Zolium oppidum, Cassouiam, aliaque complura, vnà cum montanæ prouinciæ Præfectura, Giseræ viro apud Bohemos nobili nato genere, & consilio manuque prompto, rapinis insuper obnoxio, dono dedit: qui mox collecta tam popularium quàm aliarum gentium audacissima multitudine, minimè illis contentus, quæcumque potuit oppida vi cepit, ac noua insuper quædam construxit. Inter illa etiam Zaros fuit: quam ad duodeuiginti annos insedit per vniuersam vlteriorem Hungariam ad Pæstum vsque latrocinijs, cædibus, incendijs debacchatus: adeò vt nemo tanti futurus videretur, qui funestam exstirpare gentem, & hac peste regnum purgare posset, nisi Deus Matthiam Coruinum, vnicum perfecti Regis exemplar, Hungariæ regno admouisset. Is enim composito quòd cum Cæsare gesserat bello, statim ad Bohemos è regno profligandos sese accinxit: ac per legatos (quod adhuc adolescens esset) mira felicitate pleraque ab eis insessa oppida ac præsidia expugnauit. Zaros adhuc cùm paucis supererat: quam Pan Matthias, Corabis, alijque notæ fortitudinis duces, Giseræ nomine, cum validissimo præsidio tenebant. Ad radices montis Bohemi ligneum exstruxerant castellum: quod Stephani Batoris (cui belli illius curam Matthias Rex illa parte demandarat) peditatus, ipso absente, aggressus, vi cepit. Nec mora: descendunt ex oppido Bohemi; ac conserto cùm Hungaris prœlio, quasi victores discedunt. Hinc ferociores facti, Sibinium petunt, vt ligneam ciuitatem incenderent, ac Stephani cohortes delerent. Atrox hic iterum commissum prœlium, maiori cum Hungarorum quàm Bohemorum damnò. His de rebus edoctus Stephanus, vnà cùm fratre Emerico regni Quæstore, quum vi expugnandi oppidi nulla spes esset, obsidendum statuunt; statimque omnia itinera & vias ita occupant, vt nihil commeatuum à Gisera posset inferri: quorum penuria laborantes Bohemi, missis ad Batores litteris, colloquium petũt, quo impetrato Pan Matthias cum collegis de deditione Sari eiusque legibus agunt; ac pòst dies aliquot ita transigunt, vt dedito oppido, vita & fortunis omnibus saluis discedere sibi liceret. Tanti verò momenti fuit oppidi huius recuperatio, vt non modò vicina Bohemorum præsidia, Viuarium, Bichnem, Scepusium, Kesmarcum, &c. secum traxerit, verùm etiam ipsum Giseram rebus suis diffidere incipientem, Matthiæ regis gratiam implorare coëgerit: qui fortissimi viri operam sibi non inutilem fore ratus, non modò venia dignatus est, verùm etiam in præsenti quinque ac viginti aureorum millium dono, & in perpetuum Lippæ ac Solij Præfectura, honestissimo insuper coniugio, data ei vnius è Proceribus filia, condecorauit, eiusque forti & fideli opera ad extremum vsque spiritum deinceps vsus est.


ZAROS
Superioris Hungariæ ciuitas, & propugnaculum.
Communicauit Georgius Houfnaglius. a°. 1617.

PALANCA.

VNde nomen hæc superioris Hungariæ ciuitas vel arx potius acceperit, vim vocis non ignoranti obscurum esse non potest. Palancam enim non Hungari modo, sed Germani etiam ligneam appellant sepem. Et sane ea est omnium tam in Hungaria quam Polonia ac tota Russia munimentorum ratio, vt pleraq; ligneis constent septis, terra expletis, virgultis interfertis. Licet vero arx ipsa muro cincta sit, sepem tamen eadem habet ligneam, ad retardandos hostiũ assultus percommodam. Oppidum ipsum, vel vicus, qui vltra fluuium est, paucas habet ædes atque habitatores. Quia enim arx ipsa infirmior est quam vt vim etiam nõ maximam sustinere possit; variam ea fortunã sensit, ac modo in Turcarum, modo in Christianorum fuit potestate. Et ab illis quidẽ detenta fuit vsq; ad Annum M. D. XCIII. quo post Fileccum captum, Turcæ metu consternati nõ Palancam modo, sed & plerasque vicinas arces ac præsidia, Trigellum, Blauestenum Zetschinum, aliaque complura, turpi fuga deseruerunt, à nostris postea sine vllo labore aut sanguinis effusione occupata. Eadem tamen ad excursiones, prædasque in hostico agendas valde opportuna est. vnde præsidiarij non semel magnis cladibus hostem affecerunt, & opimis onusti spolijs redierunt. Anno M. D. XCVI. exeunte Februario ijdem, adiunctis sibi vicinarũ arcium præsidiarijs de nocte Vaciam vsque profecti, id oppidum, per vallum enixi, oppressis excubitoribus, & per effractas portas suis intromissis, subito ceperunt, & magna strage edita, cõuasatis quas poterãt rebus, arce etiam nequicquam tentata, opulentã prædam domum retulerũt. Non procul inde absunt duæ inprimis munitæ arces, Trigellum nempe & Nouigradum; vtraq; monti imposita, sed hæc tã situ quam opere magis firma. Non enim muro tantum verum etiã profunda in saxo excisa fossa, tum sepe etiã crassissima & spinis conserta cincta est; vt à paucis vel magnæ copiæ facile propulsari possint. Hanc anno M. D. XIV. iussu Serenissimi Archiducis Matthiæ, nũc gloriosissimi nostri Imperatoris, tũ vero supremi in Hungaria militiæ Præfecti, Palphius Hungarorum ductor oppugnare instituit. Id conspicati Turcæ, incenso quod monti subiacebat oppidulo, in arcem sese receperunt. Econtra Palphius, subductis in montẽ aduersum tribus tormentis arcem vehementer quassauit, & præsidiarijs multũ damni dedit: qui nihilominus tam armis quam missili igne strenue sese defenderũt. Quum autem sequenti die ipse imperator cum mille nigris equitibus alijsque copijs in castra venisset, subductis in montẽ quatuor tormentis, & duobus inferiori parte collocatis, multo acrius in arcẽ fulminari cœptũ est, sic vt magna muri pars & turris portæ propinqua continuis ictibus conuulsę ac deiectæ fuerint. Quare periculo suo territi Turcæ ad Imperatorem nonnullos è suis ablegarunt, qui deditionẽ eiusque conditiones paciscerentur. Sola vitæ incolumitas abeuntibus concessa: sicque arx hæc quam plusquã sexaginta annos Turcæ tenuerant, in Christianorum redijt potestatem. Prædæ in arce parum repertum; sed multa animarum millia grauissimæ seruitutis iugo liberata sunt; tum vicinis arcibus ac præsidijs, Palanckæ inprimis, non parum virium & securitatis accessit. Begus qui arcem tradiderat, à Bassa Budensi causam dicere iussus, quamuis idoneas afferret excusationes, nihilominus ignauiæ condemnatus, ac noctu strangulatus, deinde in publico frustulatim fuit concisus, non tam iustitiæ quum vindictæ studio, & iacturæ dolore.


PALANKA
Superioris Hungariæ ciuitas.
Nouigrad
Triegell
Communicauit Georgius Houfnaglius
acceptum aliunde Aº 1617.

VARADINVM.

VARADINVM cognomento magnum(est enim in Hungaria aliud Petri vulgò dictum, Ecclesiæ Colociensi subiectum,quod amisso Belgrado Christianis pro limitaneo contra barbarorum insultus præsidio ab illa parte fuit) Varadinum inquam,nobile est Daciæ Mediterraneæ,siue Transyluaniæ,qua Hũgariam spectat,oppidum, Ecclesia Cathedrali ornatum, loco amœno admodum ad Chrysum fluuium(Kevvres vulgò)situm, qui è Carpathijs montibus ortus,aureas glebulas, atque adeò ramenta quoque secum deuoluit;vnde & nomen accepit.Initium huic Ciuitati præbuit Monasterium, à Beato Ladislao Hungariæ Rege in honorem Deiparæ Virginis circa annum M. XC. constructum:in cuius Basilica dicti Regis corpus honorificè tumulatum religiosè asseruatur.Quinetiam statuæ aliquot ex ære fusili videntur,quarum vna equestris,iam dicti regis effigiem repræsentat. Licèt autem initio nec ipsum Monasterium,nec subiectus ei pagus magis quàm ciuitas valde munita fuerint; tanta tamen paullatim eò confluxit hominum multitudo,vt inter primarias eorum locorum ciuitates semper fuerit habita.Sed & varias fortunæ mutationes ac calamitates eadem perpessa,præcipuè verò à Tartaris Anno M.CC.XLII. omnis ætatis & sexus hominibus interfectis,fœdum in modum direpta,destructa & excisa est:quã historiam oculatus testis quidam M.Rogerius Canonicus Varadinensis,parum quidem Latinè,distinctè tamẽ ac non indoctè descripsit.Exstat opusculum hoc inter varios Rerum Hungaricarum Scriptores à Ioanne Sambuco editos.Inde petat qui volet.Certè similia inauditæ crudelitatis exempla vix alibi exstare arbitror.

Ceterùm vt ea quæ à nostrorum temporum memoria propius absunt,persequamur:postquam magna Hungariæ pars in Turcicam concessit seruitutem,Varadinensis arx,vtpote in qua ad subiugandam ab ea parte Trãsyluaniã magnum esset momentum,diligenter muniri cœpit;quamuis in ipsa ciuitate ad sustinendos hostium insultus parum esset præsidij.Grauissimam verò omnium accepit calamitatem,quando Anno M. D.XCVIII. Sigismundo Batore,qui se ac Transyluaniæ Principatum,acceptis in Silesia Oppeliensi ac Ratiboriensi Ducatibus,Cæsari dediderat,ad suos reuerso,ac nouis rebus studente,exeunte mense Septembri,ab Omare Turcici exercitus primario ductore,obsessa fuit.Erat ibi tum Melchior Rederus,nobilis Silesius,rei bellicæ gloria illustris. Is comperto hostium aduentu,quamquam id in mandatis non haberet,præsidiarijs tamen rogantibus mansurum se recepit:quum retinere eos aliter non posset.Statim igitur sedulò omnia tolerandæ obsidioni præsidia comparat,& militum animos ad quæuis pericula subeunda vehementer oratione inflammat:oppidum contra vim non satis munitum incendit,comportata priùs quæ ibi reperta erat in arcem alimonia.A ciuibus verò impetrare non potuit,vt in arcem,eandem subituri fortunam,recipere se vellent,præter paucos: in quibus duo signa peditum præsidiariorum erant,Gothofredo Rubitio ductore.Quod reliquum ignis violentia fecerat,statim ab aduentante Turcarum exercitu fuit direptum: è quibus tamen multi in ipso conatu ab Haiduccis oppressi perierunt.Primo & secundo Octobris diebus Turcæ munitiones excitarunt,aquam è fossis deriuarunt,& tormentis fulminare cœperunt.Illis ipsis diebus Rederus,sua cuique statione designata, milites Germanos ad se vocatos sacramento obstringit:ne quis cum hoste colloqui aut consilia communicare, multò minùs vllam deditionis mentionem facere ausit,edicit.Id enim ei capitale fore qui fecerit;& ei quoque qui in conscientiam assumptus,non statim ad suum rem omnem detulerit Præfectum.Promptissimè omnes iurarunt.vt & postridie Hungari. Rederus è contra,se vitam fortunasque cum eis communi periculo expositurum,& ad extremum vsque spiritum constantissimè dimicaturum,sanctè promisit.

Porrò quinque sunt præcipua arcis propugnacula. Primum quod ad palatium est,Kyraliuanum appellatur; cuius custodia Niaro Pauli fuit commissa.Secundum ligneũ dicitur,quòd è lignis & terra aggesta sit exstructũ, cuius defensionem Kyral Georgius,arci Præfectus,susceperat.Tertio Tscheucæ nomen est. Quartum aureum. Quintum denique Venetum,à suburbio ei subiecto,indigetatur:ad quæ Rubitius cum suis excubare iussus.Primus impetus in Ligneum factus est:quod bis à Turcis incensum,nostrorum opera incendio restincto, seruatũ est.Ne verò idem periculum sæpè esset subeundum,obsessi intra sepimentum,quod terra expletum ambitu suo vniuersum propugnaculum complectebatur,fossam ducunt,& militum ibi stationem collocant,qui & Turcas inuadere tentantes exciperent,& eorum conatus in tempore anteuerterent & disturbarent.Sexto Octobris hostes aquam à mola,quæ paulò supra arcem est,in fossam arcis influentem aliò diuerterunt:sequenti verò nocte ad Kyraliuanum cuniculos agere cœperunt,excubitorum incuria non deprehenso eorum conatu , qui eam negligentiam capite luerunt.Sequenti die,ne quid ibi damni acciperetur,quatuor Haiducci,promptæ audaciæ, inchoatam hostium substructionem ingressi fossores expulerunt,& instrumenta ibi reperta in arcem secum asportarunt.Octauo,ad Tscheucæ propugnaculum cryptam itidem moliti sunt Turcæ,tanto cum ardore, vt crebris vndiq; telis petiti,nihil tamen de labore remiserint,in cæsorũ locũ semper recentibus alijs atq; alijs summissis;nec priùs abstiterunt,quàm murum subtergressi,extra teli iactum sese constituissent.Ad hos excipiendos obsessi ex aduerso cuniculos ducere satagebant;sed locorum difficultate impediti operæ precium facere non potuêre.Postea vndecimo eiusdem mensis die viginti quinque pedites Hungari in eam fossam, quam Ligneo propugnaculo prætentam fuisse diximus,ad excubias agendas collocati,quum nocturnis vigilijs fessi circiter meridiem somno se dedissent;à Turcis(qui animaduersa eorum negligentia,lintribus fossam traiecerant)oppressi,& partim interfecti,partim in arcem compulsi sunt.Hoc successu alacriores facti, & aliquid amplius audendum rati,lintres ad sepimentum,siue loricam ligneam admoliuntur:longurios primùm,deinde palos recidunt,terra fossam complent,atque ita se tegunt,vt triginta fossoribus facilè tutus esset locus. Pulueri cuniculis duobus in locis,ad Kyraliuanum & Tscheucanum scilicet propugnacula,illato, obstructis spiraculis, Turcæ


VARADINVM.
Septemtrio.
A.
B.
C.
SERESKERES FLV.
E.
D.
VARADINVM, vulgò Gros Wardein; Transiluaniæ oppidum, cum munitissimo propugnaculo. In prouinciæ introitu secundo, à Mahumeta Turcarum Imp. obsessum, et frustra tentatum.
A. Sakmar. B. Hospitale. C. Suburbium Italicum. D. Suburbium Venetum. E. Statua Regis equestris, et tres statuæ pedestres ex ære fusili.
Communicauit Georgius Houfnaglius.
Meridies.

Turcæ XI. Octobris ignem subiecerunt, interea in procinctu stantes, vt per ruinas in arcem irrumperent, quod consilium solius Dei misericordia discussit. Siue enim meatibus subterraneis non rectè interclusis, siue quauis alia de causa, ignis per os cryptæ, quà illatus erat, magna cum violentia erupit, & præterquam quòd munitioni nihil nocuit, multos Turcarum proximè adstantes adflauit atque ambussit, cæteros ita perculit, vt perspecta oppugnationis difficultate, sensim eo die pedes referrent. Sequētes aliquot dies cuniculis agendis consumpti. Die verò XVI. puluis sulphureus ad Tscheucanum euertendum propugnaculum collocatus, igne admoto, procurrentem eius angulum, cum duabus vtrinque alis (quarum interstitium passus viginti duos complectebatur) à fundamentis conuellit, ac ruinis fossam complet: per quas Turcæ, agmine facto, mox irruunt; simul idem alij ad Ligneum faciunt propugnaculum, quò obsessos pluribus locis distinerent ac defatigarent: sed Dei benignitate, & incredibili militum virtute depulsi, tandem octo signis amissis receptui cecinerunt. Ex obsessis in hoc conflictu arcis quoque Præfecto amisso. Nec segniùs per sequentes dies à Turcis irruptio tentata. Vicesimo atrox pugna ad Kyraliuanum commissa est propugnaculum: cui itidem suffosso puluerem subdiderant hostes, eius incensi vi vallo quantumuis firmo, disturbato, hiatus ad vndetriginta circiter cubitos patebat: fossa tamen senos tricenos passus lata, & mediocriter profunda, impressionem molientes remorabatur. Ei ergo dolia, vtres aliaque, quæ supernatantia flumen portat, inijciunt; his trabes, tigna, gerras superimponunt, inde tribus locis tanta contentione irruunt, vt eo die omninò mori velle viderentur: quod & plurimis euenit. Quid multis? Nullus certè totius mēsis dies abijt, quo Turcæ non tā cuniculis, quàm vi irruptionē tentarint: eo tamē exitu, vt illos numero, Christianos diuinæ opis præsentia superiores esse facilè appareret. Tandē verò hiberna tēpestate fluuio aucto, & ingrauescēte cœli iniuria, vasis collectis, tertio die Nouēbris obsidionem soluunt, & copias Solnocum, inde Budam deducunt. Inter paucas memorabilis est hæc obsidio, in qua hostium tredecim millia, è Christianis mille & trecenti varijs casibus absumpti dicuntur. Gratiæ inde Deo actæ: & Rederus, qui toto obsidionis tempore, cum æterna nominis sui laude, summa cura peritiaque omnia administrauerat, cum magna captiuorum turba, vexillis, equis, Cassouiam profectus, magna cum omnium gratulatione exceptus fuit: arcis custodia Niaro Pauli, dum Cæsar ea de re statueret, commissa.

Hæc eò prolixiùs hoc loco recensere voluimus, vt intelligeretur è præcipuis Hungariæ, eique confinium regionum, quæ adhuc in Christianorum sunt potestate, hoc non esse postremum. Ciuitas quidem ipsa olim amplissima, tota penè deleta est: sed paullatim restauratur. Episcopos habuit multos, quum rerum vsu, prudentia ac doctrina præstantissimos, tum singulari nobilitate præcellentes, ac rerum gestarum magnitudine claros. Vnus instar omnium sit Georgius ille è Franciscano Monacho Varadinensis Episcopus, ac Regni Thesaurarius: qui tantum auctoritatis sibi acquisiuerat, vt parum à regia potestate abesset. De cuius rebus gestis ac nece fusè scripserunt Historici.

Etsi denique Hungaria præ cæteris regnis saluberrimarum thermarum abundet multitudine (de quibus elegātem edidit libellum Georgius VVernerus) Varadinensibus tamen, eodem teste, plerique primas tribuunt: in quo tamen eos amœnitatem potiùs earum quàm salubritatem spectare dicit: vt quæ sint calore temperato ac periucundo; præterea tam puræ ac dilucidæ, vt speciem rerum quæ inijciuntur, ampliorem quàm ipsæ sint, reddere videantur.

CLAVDIOPOLIS, siue

COLOSVVARIA, vel CLAVSEMBVRGVM vulgò, Saxonica Transyluaniæ ciuitas.

CIVITAS hæc Transyluaniæ ex ijs vna est, quæ Saxonicæ vulgò dicuntur, à Saxonibus, qui Caroli Magni tempore, quum leges ab ipso impositas tolerare recusarent, in has oras profecti, regionem armis occuparunt, inque ea septem amœnissimas ciuitates partim de nouo condiderunt, partim antè conditas restaurarunt & amplificarunt, instituta ad eam formã, qua hodie liberæ in Germania Ciuitates censentur, Republica. Porrò Claudiopolim minimè nouam esse vrbem, sed illam ipsam, quæ à Ptolemæo Zeugma nominatur, Ioannes Hortylius Transyluanus apud Maginum putat, & à Græcis ædificatam, postea à Romanis (à quibus forte in Claudij Imperatoris honorem nomen ei inditum) ac tandem à varijs barbaris gentibus infessam. Hodie certè vniuersa Transyluaniæ prouincia in tres diuiditur nationes, suis inter se ritibus, moribus, legibus, & linguis etiam dissidentes, ipsamque distinctis terrarum locis incolentes: nempè Saxones, Ciculos & Hungaros: quibus etiam nonnullibi ac præsertim in desertis locis ac villis, VValachi permisti sunt, nullam ferè aliam negociationem nisi rem pecuariam exercentes, & furtiuo plerumque etiam boum & equorum abigeatu sese alentes. Scribit Reichersdorfferus, tres has nationes coniunctis ad bellicam expeditionem copijs ac viribus, iuxta communem calculum, ad nonaginta & amplius armatorum millia suppeditare posse. Quamuis autem olim Saxonum gens his locis præpotens fuerit, atque etiamnum munitissimas vrbes ac loca totius prouinciæ fertilissima incolat; paullatim tamen vel Hungari præualuêre, vel Saxones in Hungarorum motes ac ritus concessêre. Quod etiam huic ciuitati accidit: quæ quum paucos ante annos à Saxonibus solùm habitaretur, eodem Hortylio teste, temporis successu, magistratus incuria, Hungaros hospites admisit, qui pedetentim Patritijs sese insinuantes, mox ciues recepti sunt, & hoc tēpore communi cum Saxonibus iure ac priuilegijs fruuntur: sic vt Iudicem & Consules alternis vicibus quotannis concordibus suffragijs ac pari numero eligant; & hi Hungarum, illi Saxonem, suos quisque Senatores salutent. Vrbs ipsa in planitie sita est, circa quam tamen ager, præsertim ad Orientem, in colles exsurgit. Solum nõ frumenti modò & omnis generis frugum ac leguminum, sed & vini ferax est. Tota tam murorum ambitu foris quàm intus ædificiorum structuris est splendida. Ad portam Pottinam hoc Epigramma Traiano Imperatori inscriptum, & è vetustate seruatum legitur:

I. M. N.


TRAIANO PRO SALVTE IMP. ANTONINI ET M. AVRELII CAES. MILITES CONSISTENTES MVNICIPIO POSVERVNT.

Non procul hinc Chrysus fluuius, qui Hungariam à Transyluania disterminat, è Daciæ montibus Pannoniã cõtingentibus ortus, inter asperas & præcipites Alpes continuis anfractibus & celeri meatu delabitur: vbi VValachi in desertis ædibus habitantes, re pecuaria & piscium è dicto flumine optimorum copia victum sibi quærunt. Hic enim fluuius præ cæteris, nobilissimis piscibus abundat, nimirum fundulis, capitonibus, auratis, trutis, & id genus. Quin etiam aurum, non minùs quàm Tagus Hispaniæ, voluit, vnde & nomen accepit.

Non longè ab hac ciuitate duæ è regione sibi oppositæ rupes in miram altitudinem sese extollunt, inter quas riuulus quidam satis præcipiti cursu delabitur, de quo idem Reichersdorfferus sequentes apponit versiculos:

Hic geminæ pariter tolluntur ad æthera rupes,
Saxaque præruptis cautibus alta rigent.
Riuulus hinc cursu fluit inter vtramque rapaci:
Aureus hunc nitidis excipit amnis aquis.
Perspicua est ipso aspectu quæ sumitur vnda;
Candidulos scrupos fundus & imus habet.
Ante locis transis vicenis atque nouenis,
Quàm celsum videas quo fluit ille iugum.

Quantas verò calamitates ac rerum mutationes, vnà cum tota prouincia, ciuitas hæc superioribus annis experta sit, quibus Sigismundus Bator, rebus initiò feliciter contra Turcas gestis, Principatum hunc suum Imperatori Rudolpho II. tradidit, deinde ab eodem rursus defecit, relicta vltrò à se vi recuperare aggressus; publicæ testantur historiæ. Sed hæc leuia fuerunt præ illis, quæ sequentibus intestinis pertulit insidijs, Andreæ Batoris, Botscaij, Mosis Zeccleri, Ragotsij Bethlini, Gaboris, & aliorum Principatum sibi affectantium ambitione accensis. Quin hodie etiam vniuersa prouincia factionibus ita fluctuat, vt verendum sit, ne tota tandem in Turcicam seruitutem vltrò se præcipitet. Quod Deus Opt. Max. clementer auertere dignetur.


CLAVDIOPOLIS
COLOSWAR vulgo CLAVSENBVRG
Transiluaniæ ciuitas primaria.
Sereniſs. Ferdinandi Archiducis Austr. Stiriæ, Carinthiæ, Carniol. &c. Ducis Pictor Egidius vander Rye Belga pingebat. communic. Georg. Houfnaglius. Anno Dñi 1617.
Occidens.
Nobiles nuptæ Transiluanæ
Nobilis virgo Trāsiluana

CASTANOVITIVM.

A Murathes III. Turcarum Sultanus, postquam Anno M.D.XCII. Hassanis Bassæ præcipue instinctu, pacem quam hactenus cum Cæsarea Maiestate Rudolpho II. coluerat, perfide violasset; id vnice operam dedit, vt ea occuparet loca è quibus tam Germaniæ quam Italiæ non metum modo intentare, verum etiam arma commodissime inferre posset. Quam ad rem, quum Croatiam peropportunam sibi sciret, primo vere dictum Hassanum cum iusto exercitu eo misit: cui vix eam regionem ingresso, Castanouitium, tam loci genio quam operibus munitum valde propugnaculum, militum proditione fuit deditum. Arx hæc in insula quadam, quam Vnna fluuius efficit posita est; in cuius altera ripa vicus est non incelebris: altera vero tiguria itidem aliquot habet, & late patentes campos, vini, frugum, omniumque terra nascentium feraces, & opimis pascuis lætos. Nihil hic omnium rerum quæ ad vitam commode degendam spectant, quis desideret; tum ea est loci amœnitas, vt quacumque oculos circumferas, vix maior esse possit: tantoque magis dolendum sit, tam cultum, tam pingue solum ab infidelibus barbaris insideri ac teneri Quum biennium, & eo amplius in hostium potestate fuisset Castanouitium, Anno M.D.XCIV. adulta æstate à Serenissimo Archiduce Maximiliano, vnà cum Petrinia, ductore Lencouitio, Croatiæ Præfecto, in Christianorum ditionem est redactum: vtræque tamen arces non multo post in Turcarum rediere potestatem. Et Pertriniani quidem arcis munitionibus diffisi, Rustantis Begi, qui ex vulnere in velitatione accepto obierat, abducto secum cadauere, Castanouitium velut ad tutiorem locum sese receperunt, Petrinia Christianis relicta. Biennio post, nempe Anno M.D.XCVI. mense Iulio, Ioannes Sigismundus Baro Herberstenianus, cum delectis trium regionum, quas Slauonicas vocant, copiis, Castanouitium obsedit, & admotis tormentis muros verberare cœpit. Id quum comperisset Bosniæ Præfectus, contracto repente quantum poterat exercitu, Christianorum castra aggredi, & obsessis opem ferre decreuit. Ei vltrò obuiam profectus Herberstenius prœlii copiam fecit; cuius is fuit exitus, vt Turcis quadringentis circiter cæsis, reliquis fusis ac fugatis, nostri tres hosti machinas campestres, multaque vexilla eripuerint: in certam spem arcis breui recuperādæ erecti: quæ tamen eos fefellit. Dum enim Christiani securius quam hoste tam vicino oportebat, agunt, quingenti à Bosniæ Præfecto summissi milites in arcem clam penetrarunt, illato etiam quantum ferre poterant comeatu. Iamque idem Præfectus cum copiis duplo maioribus in procinctu erat, nostrorum castra summis viribus oppugnaturus. Quocirca Herberstenius suum ac suorum periculum intelligens, soluta obsidione inde discessit, copiasque suas in tutum reduxit. O diem illū videamus, quo Christiani Principes positis intestinis simultatibus & bellis perniciosissimis compositis, omnes suas vires in vnum hunc hostem conuertant, totque ac tam præclara regna, prouincias, vrbes, oppida, arces, tamque multas animarum myriades è grauissima seruitute in libertatem vindicent! Sed hæc optare magis licet, quam sperare.


CASTANOWIZ
Croatiæ Propugnaculum.
VNA F.
Communicauit
G. Houfnaglius
A°. 1617.

CRACOVIA.

POLONIA proprio nomine sic dicta, in duas partes diuiditur, quarum quæ Saxonibus Prutenisque confinis est, & Varta fluuio irrigatur, *Maior*; altera, Hungariæ ac Russiæ obiecta, & Vistula fluuio perfusa, *Minor* vocatur. Illa Septentriones; hæc Austrum spectat. *Maior* dicitur, quòd in ea Lechus, primus Polonorum imperij auctor ac fundator sedem suam siue regiam habuerit, in Gnesnensi scilicet, Archiepiscopali hodie vrbe: quæ Cracouiam translata, Minori Poloniæ maius nomen ac celebritatem conciliauit.

Porrò Cracouiam, Regiam Poloniæ, Daniel cellarius in speculo suo Cosmographico sic describit: *Cōplectitur*, inquit, *minor Polonia Vandali seu Vistulæ fluuij fōtes, &* CRACOVIAM, *celeberrimam ac amplissimam vrbem, in qua Regia est totiusqúe regni gaza. Rundissa fluuius (Rundauam* Cromerus appellat*) vrbem circumluit, & aquæductibus quoque eandem perluit. Diuiditur autem à nonnullis vrbs Cracouiensis in tres distinctas ciuitates. Tres enim Curias & iudiciales conuentus habet. Vna earum Cleopardia dicitur, & Cracouiæ adhæret ea parte, quæ Silesiam respicit, tamquam suburbium aliquod. Ipsa verò Cracouia ad Vauelum montem sita (in cuius summitate Arx Regia) Vistulæ flumini ex altera parte ponti iungitur ligneo, qui ad Casimiriam vrbem ducit. Hæc celebri Academia floret: quam primi quidem Heduigis & Casimirus Reges fundasse, Vladislaus autem anno salutis reparatæ M.CCCC. restaurasse perfecisseqúe dicuntur.* Hæc ille, breuiter quidem, sed satis ex fide, vti typus ipse demonstrat.

Iam verò operæ precium facturi non immeritò nobis videmur, si non modò vberiorem Regiæ huius vrbis descriptionem subiungamus, sed etiam prima eius incunabula & originem, Martini Cromeri fidem potissimùm sequuti, paucis indicemus.

Post Lechi I. interitum Polonia Aristocratico regimine à XII. Ducibus siue Palatinis, quos gentes illæ hodieque *Vaiuodas* sua lingua appellant, & cuius dignitatis etiamnum in Polonia simulacra conspiciuntur, aliquandiu gubernata fuit. Quum verò Poloni illud, quod à sapientissimo Poeta dictum est, reipsa verum esse didicissent, noxiam scilicet esse subditis regnantium multitudinem; Aristocratici status & malorum inde promanantium pertæsi, celebratis regni comitijs, summam rerum ad Cracum quendam, siue Crocum, è Cechi Bohemorum Principis stirpe oriundum, virum ea ætate, quum belli tum pacis artibus excellentem, & vt Cromerus suspicatur, è Vaiuodis vnum detulerunt. Is domitis finitimis gentibus, & qui in Poloniam incurrerant, prostratis hostibus, agris etiam passim colonorum numero repletis; Anno circiter post Christum natum DCC. insignem ciuitatem ad Vistulam fluuium, cum Arce, in scopulo VAVEL dicto, condidit, & à suo nomine CRACOVIAM nuncupauit. Ineptire verò eos, qui Cracum hunc è Romana Gracchorum familia ortum asserunt, Cromerus demonstrat. Fertur etiam immanis quædam bellua, quam *Holophagum* nonnulli, Solinus *Boam* appellat, è Draconum genere, in antro montis (quod hodieque, exeso saxo, profundum ostenditur, & *specus Draconis* dicitur) cui arx Cracouiensis imposita est, cubile habuisse, & deuorandis pecudibus, iumentis & hominibus, tum etiam pestifero suo anhelitu, omni viciniæ plurimum damni dedisse: quam Cracus obiecto vituli cadauere, sulphure, pice, aliaque materia, quæ facilè ignem clam delitescentem concipit, inserto, interemerit, sicque quotidiana clade regionem liberarit. Hoc verò vtrum fabulæ vel historiæ similius videatur, penes Lectorem esto iudicium. Nos ad vrbis descriptionem accedamus.

Cracouia nobilissima & celeberrima Sarmatiæ vrbs (Ptolemæi *Carrodunum* esse Petrus Apianus putat) Polonici regni metropolis, Regumque domicilium, sita est sub gradu longitudinis XLII. latitudinis L. ac dimidio ferè: vbi maior dies æstatis est horarum XVI. cum octaua parte. Solum habet quà viridanti arboribus planitie, quà agrorum hortorumque cultura, quà Vistulæ & Rudauæ commoditatibus non modò amœnissimum ac peropportunum, sed frumentis etiam ac frugibus, nec non auro, argento, plumbo crupro, ferro, lapide, calaminio, marmore quoque & alabastro, alijsque terra nascentibus fecundum. Aere gaudet puro admodum ac salubri. Vrbs ipsa quum ædificiorum priuatorum iuxtà ac publicorum splendore, tum rerum omnium ad necessitatem cultumque vitæ pertinentium copia; ad hæc hominum frequentia, ciuilitate, & elegantia, non solùm inter Septentrionales illas primum locum obtinet, sed etiam cum clarissimis Germaniæ, Italiæ, Galliæ vrbibus certat. Vnde fit, vt non indigenis modò, sed & Germanis mercatoribus antiquitus semper abundarit. Sed neque Italis caret: quorum lingua post Latinam Poloni lubenter vtuntur. Præter admirabilem piscium copiam, quam Vistula suppeditat, idem fluuius commercijs exercendis maximè inseruit; cuius beneficio & domesticæ opes exportantur, & exoticæ importantur. Vrbi vtilem & iucundam aquationem *Rudaua* amnis, per subterraneos canales, quum ad publica vrbis & arcis loca, tum ad priuatas plurimas ædes deriuatus affatim præbet. Sed nec viuarum & è terræ visceribus scaturientium aquarum fontes passim desunt.

Quæ propriè CRACOVIA dicitur Regiæ Arci subiecta vrbs, vna ex parte, Austrum versus, ciuitatem habet CASIMIRIAM vulgò, à primo eius conditore Casimiro Magno appellatam, & anno M.CCC.XLVI. fundatam. A Cracouia Vistula fluuio interlabente separatur; sed ponte ligneo iungitur. In illa celebres Ecclesiæ sunt, Corporis Christi, Regularium Canonicorum Ordinis S. Augustini, Ecclesia S. Catharinæ, quam ipse Rex Casimirus fundauit, & dum primum fundamenti lapidem poneret, annulum digito detractum supposuit, in honorem Dei, & sui tanquam fundatoris memoriam. Visitur ibidem quoque Ecclesia S. Stanislai martyris in rupe edita, quæ hebdomadatim feria sexta à populo deuotionis ac pietatis caussa visitatur. Est etiam in eadem ciuitate templum B. Laurentio sacrum.

Ad ortum Casimiriæ adiacet opidum Hebræorum, in vnum peculiarem ciuitatis locum compulsorum, iisdem inclusum mœnibus: vbi scholam illi habent seu synagogam. His Iudex Christianus præfectus est, sub Vrbani Palatini tutela.

Intermedius Arci & Pōti viculus iacet, Stradomia dictus: quē flexus Vistulæ tria latera ambientis, & influentis in eū Rudauæ occursus insulam facit. In hoc Ecclesiæ sunt S. Bernardi, S. Agnetis cum Monasterio Deo nūcupa-

cupatarum Religiosarum virginum; S.Heduigis, cui insigne Xenodochium virorum senio confectorum, & ad paupertatem aliquo casu redactorum adiunctum est; & demum S.Sebastiani, cum simili pietatis officina.

Ad Septemtriones verò Cracouiæ prætenditur Clepardia suburbium, sed nullis cinctum muris, vti Casimiria: in quo templa sunt Floriani; SS.Simonis & Iudæ, cum Xenodochio non ita pridem exstructo; SS. Philippi & Iacobi: S. Valentini, cum Xenodochio: S.Nicolai, adiunctum habens Monasterium : & tandem Domus Episcopalis suburbana.

Ab Occidente ad portam Sutorum, suburbium habet Cracouia *Cerdonum vicum*: in quo visitur Ecclesia B. Mariæ semper Virginis in Arena (tum Monasterium Carmelitarum, & S.Petri templum. Hoc suburbium, olim frequens incolis, maxima ex parte Germanis (qui etiam suum ibi magistratum cum iurisdicendi potestate, ad instar ciuitatis habent) & ædificijs quondam, nunc hortorum cultura amœnum, Serenissimo Maximiliano Austriæ Archiduce, &c. Anno M.D.LXXXVIII. vrbem obsidente, magna ex parte impendio absumptum fuit, cuius vestigia multis in locis etiamnum apparent.

Extra Cracouiam & Cerdonum vicum villa est LOBZOVIA nomine, vbi peramplum Regium palatium conspicitur, à Serenissimo Stephano quondam inchoatum, & nunc à Serenissimo Rege Sigismundo III. maiori amplitudine & magnificentia exædificatum. Villa hæc hortis elegantissimis, pomarijs, viuarijs piscium, diuersisque habitationibus mirè exculta, muroque inclusa est, vbi Regia Maiestas æstatem ferè degere ac ius dicere solet.

Ex aduerso Lobzouiæ Ecclesia est S.Leonardi cum Monasterio. Cui proximè adiacet oratorium Emaus, & Ecclesia S.Margaritæ.

Eminent circa Cracouiam duo nobiles tumuli, montium instar congesti. Vnus Austrum versus, vltra Vistulam in monte olim *Lasotino*, nunc *Renkauka* dicto, non procul à Casimiria ciuitate in quo Cracus vrbis conditor, vt ipse mandauerat, sepultus fertur. Alter à Cracouia miliare vnum circiter distat, in conspectu vrbis, supra amnem Dublinam, vbi Venda, vnica hæres & filia Craci, tumulata iacet: quæ in Poloniæ Ducum ordine quarta summa prudentia ac rara fortitudine, virginalem interim cœlibemque vitam ducens, Rempublicam feliciter administrauit; nec minùs admirabilem sortita est exitum. Quum enim insigni formæ venustate (vnde meritò *Venda*, id est, *hamus*, dicta fuit) finitimæ gentis Principem insano amore accendisset, adeò vt quum blanditijs ille nihil proficeret, vi expugnare eam statuerit, sed victus, pudore mortem sibi ipse consciuerit : illa victrix Cracouiam inuecta, vt virginitatem illibatam conseruaret, dijs patrijs solemni ritu sese deuouit, ac de ponte in Vistulam præcipitauit: cuius cadauer in Dublinæ ostio inuentum, proceres in supradicto tumulo sepelierunt.

Ceterùm vrbs ipsa multis insignibus templis, & non paucis Religiosorum virorum, virginum & mulierum claustris, Oratorijs, & religiosæ pietatis domicilijs exornata est. Præcipuum B. Mariæ Virginis in medio vrbis parochiale templum conspicitur, fulgenti plumbo tectum, cum duabus arduis ac præcelsis turribus: in quo Archipresbyter est infulatus, cum numeroso Clero. Iuxta est B. Barbaræ oratorium, Germanorum pietati olim assignatum. Proximum huic Sanctissimæ Trinitatis templum. Non procul inde celeberrimum Ordinis Prædicatorum cœnobium. Sequitur Ecclesia SS. Petri & Pauli, venerandis & doctissimis Patribus Societatis Iesu, pientissima liberalitate & munificentia Serenissimi Regis Sigismundi III. feliciter adhuc regnantis, Anno salutis M.D.XCVII. in vigilia S.Ioannis Baptistæ fundata & exstructa. Præterea amplissima Ecclesia S. Francisci, ordinis Minorum Conuentualium; in qua B.Salomæa Regina Haliciæ, Boleslai Pudici Poloniæ Ducis soror Ecclesiæ s. Andreæ in hac eadem vrbe fundatrix, sepulta quiescit. In hac sacra æde sedilia visuntur, tanta arte & elegantia ex piorũ eleemosynis facta, vt similia vix alibi reperiantur. Non procul inde Tẽplum est omniũ sanctorum. Sequitur ędes S.Iacobo sacra, cum amplissimo Xenodochio & domo è lateribus constructa. Non longè hinc abest Xenodochium S.Spiritus, amplissimis prouentibus ad subleuandas pauperum necessitates dotatum. Sed longum fit profectò omnia augustissimæ Cracouiensis ciuitatis templa, publica ædificia, aliaque ad pios vsus fundata enumerare: qualia sunt sacræ ædes s.Marci cum Monasterio contiguo, Protomartyri s. stephano nuncupato: S.Annæ, sancti AEgidij: B.Mariæ Magdalenæ. sunt & aliorum Sanctorum ibidem Memoriæ, vni Deo zelosa Maiorum deuotione passim dicatæ ac fundatę. Exstat in medio foro paruum Oratorium siue sacellum, singularem antiquitatem prę se ferens, ante ipsam vrbis Cracouiensis fundationem constructum, in quo olim S.Adalbertus crudeliter tandem à Bohemis occisus, Christianam fidem Polonos docuit, nunc verò conciones ad populum habentur. Nunc quoque Nouum Templum & Forum Cracouia habet amplissimum, in cuius medio Prętorium visitur, vbi Reipublicę negotia tractantur & ius dicitur. Senatoria hęc domus longè ac procul conspicuam se prębet, turrim habens editam, è saxo quadrato mira venustate & artificio exstructam.

Iam Arx Regia, in VAVEL collis lato admodum vertice posita, tam ampla est, vt iusti opidi potiùs quàm Arcis speciem prę se ferat; tam magnifica verò, vt cum splendidissimis vel in media Italia aut Germania arcibus contendat. Mœnibus ac propugnaculis valdè munita est; tum pręter Basilicam aliaque ędificia, templum habet B.Stanislao dicatum, in quo beati huius martyris argẽtea inclusę tumba, quam sex Angeli ex eodem metallo sustinent, Reliquię religiosè asseruantur. Est & ibidem sacellum Iagellonicum, eximia magnitudine à Sigismundo I. Rege constructum, & cupro iam à Sigismundo III. inaurato tectum. Altare ibi visitur argenteũ, aliaque magni precij ac splendoris Ecclesiastica ornamenta. In vniuersum sacella habet XXIII. & Clericos ferè LXXX. in quibus sunt XXX. Canonici, & VI. Pręlati, cum Suffraganeo, è totius Nobilitatis flore electi. Tã templo quàm Regię adiunctę sunt turres magnificentissimæ, fulgenti plumbo contectę. In hoc templo verò Poloniæ Reges & coronantur, & post fata sepeliuntur; quorum multa ibi egregia monumenta videre est. Arcem ipsam incendio valdè deformatam, Germanus quidam nobilis, Bonerus nomine, in eam, qua nunc visitur, formam, amplitudinem, & splendorem Sigismundi I. Regis iussu restituit. Quum vero Anno M.D.XCV. pars eiusdem rursus Vulcani rabie fuisset absumpta; Sigismundus III. Rex, adhuc feliciter regnãs, & ô vtinam diu adhuc regnaturus, adhibitis præstantissimis architectis ac pictoribus, multò magnificentiùs eandem restaurauit, cupro texit ac nouam Turrim, quà ipsam vrbem spectat, tam ad tutelam ac munimentum, quàm singulare decus addidit. Portam quoque & noua Arcis conclauia ita exornauit, vt pulchrius quid ac magnificentius nõ

facilè

facilè vſpiã reperiatur. Pro veteri etiam Maiorũ & pia conſuetudine, B. Michaelem Archangelum in editioribus locis ac montibus colentium, in eadem hac Cracouienſi Arce, quà Viſtulam reſpicit, ædes viſitur dicto Archangelo, & prope hanc alia, S. Georgio, militi & Equiti Chriſtiano ſacra. Subterraneum etiam eſt Oratorium, Beati Vladiſlai memoriæ nuncupatum.

Illud verò notatu dignum eſt, quod anno M.CC.LXXXV. Leſcus Dux Cracouienſis & Sandomirienſis, ob ſingularem fidem & conſtantiam in bello præſtitam, Germanis vniuerſæ Cracouienſis vrbis gubernationem conceſſit; in qua quidem poſſeſſione ijdem multo pòſt tempore permanſerunt. Idem Leſcus Cracouienſes mercatores ob inſignem de Scythis (Tattaris vulgò) magna vi ac multitudine ciuitatem oppugnantibus, victoriam, publicorum onerum & vectigalium immunitate gratiosè donauit. Quæ quidem donatio, diplomatibus & publicis tabulis Anno M.CC.LXXXVIII. conſignata, etiamnum exſtat. Anno ſalutis verò M.CCC.VI. Vladiſlaus cognomento Cubitalis, Cracouiæ vnà cum Heduige thalami conſorte, verus Rex & Monarcha Polonorum coronatus fuit: atque ex eo tempore Eccleſia Cracouienſis ius ac priuilegium Regum Poloniæ inaugurandorum accepit. Antea enim in loco non ſatis tuto Gneſnæ coronabantur.

Suaue Chriſti iugum & Catholicam religionem CRACOVIA Anno ſalutis DCCCCLX. vel circiter, ſuſcepit; idque Deo benè propitio, tali occaſione: MIESCO ſiue MIECISLAVS Dux, patri communibus omnium ſuffragijs, licèt cæcus natus, ad Rempublicam Polonorum adminiſtrandam ſuffectus, quum ſeptem concubinas haberet, ex nulla tamẽ earum ſobolem ſuſceperat. Qua ſterilitate non mediocriter anxio, Chriſtiani quidam ſuadere cœperunt, vt ſi non ſobolem modò, ſed & temporalem atque æternam ſalutem obtinere vellet, abiecto nefario idolorum cultu, Chriſtianam pietatem ac religionem amplecteretur. Ab his perſuaſus Mieſco, ad Boleſlaum Bohemiæ Regem Legatos miſit, Dambrouucam filiam eius coniugem ſibi expetens. Cui petitioni Boleſlaus non grauatè annuit, hac conditione, ſi Mieſco ſacro lauacro regeneratus, cum ſuis Chriſtianæ religioni nomẽ daret. Qua accepta cõditione, Mieſco Anno Domini DCCCCLXV. ſacro fonte ablutus, & pro Mieſcone MIECISLAVS appellatus, mox edito VII. die Martij promulgato, per vniuerſum ſuum imperium idola comminui, & abrogata veteri ſuperſtitione, vnum & verum Deum Chriſtiano ritu coli iuſſit. Expurgata dein idolis Polonia, multas Eccleſias, Parœcias & Epiſcopatus inſtituit, ac copioſis prouentibus dotauit. Præcipuè verò in primaria Poloniæ vrbe CRACOVIA egregiam Arci contiguam Baſilicam conſtruxit, & Archiepiſcopali dignitate ornari curauit. Qua verò ratione & quando dignitas hæc deſierit (hodie enim Epiſcopatus tantùm eſt) nec Cromerus, nec alij ſcriptores explicant. Huic autem Epiſcopatui, totique Eccleſiæ Cracouienſi Boleſlaus V. ob vitæ caſtimoniam Pudicus cognominatus, Dux Cracouienſis & Sandomirienſis, Anno M.CC.LXXIX. multa beneficia publicis tabulis conſignata contulit, quibus cuncti Eccleſiaſtici ordinis homines, omneſque eorum familiares & adſcriptitios omni prorſus ſeruitutis, penſionis Duci debitæ, nec non vectigalium onere liberauit, & ab vniuerſa ſuorum Iudicum ac magiſtratuum, ſuaque ipſius iuriſdictione exemit: Epiſcopum autem omninò Ducali iure in bonis iuſſit eſſe, ac frui. Atque exinde ad noſtra vſque tempora Poloniæ Reges in ſuſcepta ſemel Chriſtiana ac Catholica religione ſemper permanſerunt.

Quum verò ſequentes Reges ac Principes facilè intelligerent, quantum quum ad Religionis conſeruationem, tum ad humaniorem vitæ cultum in bonarum litterarum cognitione momenti eſſet poſitum: Caſimirus Rex Anno M.CCC.LXI. impetrata ab Vrbano V. Pontifice poteſtate, in ciuitate de ſuo nomine dicta Academiam inſtituit, accitis è Pariſienſi & Pragenſi Vniuerſitate clariſſimis Doctoribus. Quod immortali laude digniſſimum opus fata Caſimiro morte præuento inuidentes, Vladiſlao Iagelloni perficiendum reliquerunt: cuius vxor Heduigis moriens (rarum hoc in fœmineo ſexu) vltimis tabulis magnam pecuniæ ſummam in Academiæ vſum legauit. Qua, vt & cumulatiori Regis liberalitate, duo Collegia exſtructa ſunt, in quorum vno Theologi & Philoſophi; in altero Iuriſconſulti & Medici docerent: illud in platea, quæ Iudæorum tunc fuit, nunc ſanctæ Annæ nuncupatur; hoc verò in vico, quo ex vrbe in arcem aſcenditur. Sed Medici deinde Philoſophiæ ac humaniorum litterarum Profeſſoribus ſeſe coniungere maluerunt. Rector vnus Vniuerſitati præeſt, cui eſt iurisdicendi omnibus Academicis integra poteſtas; cum maximis immunitatibus ipſi Academiæ conceſſis, quibus ſub certis legibus in commune viuunt. Collegium in platea Caſtrenſi Iuriſconſultos habet octo celeberrimos, qui publicè in eo profitentur: è quorum numero ſe fuiſſe Petrus Roizius Lituanicarũ Deciſionum ſcriptor non ignobilis, ipſe teſtatur. Theologi ac Philoſophi Collegium maius occupant, commodiſſimis habitationibus diſtinctum: in quo Profeſſores XIX. & præſtantiſſima Vniuerſitatis Bibliotheca, inſigni librorum & Mathematicorum inſtrumentorum copia ad admirationem inſtructa. Ampliſſima ibi ſunt in vſũ Theologiæ, Philoſophiæ, humanioribus & Mathematicis diſciplinis operã nauãtiũ Auditoria. Medici partim in priuatis ciuitatis, partim publicis Vniuerſitatis ædibus degũt. Minus autem Collegiũ Maiori contiguũ, Philoſophiæ & liberalium artium Profeſſores habet XIII. qui quidem omnes, prout etiam Profeſſores Ethici, & omnium aliarum Facultatum Doctores Academici ſtipendia ſua, Regia maieſtate ita diſponente, ex ſalinis & vectigalibus annua percipiunt. Dialectica ſtudia, Mathematica, Philoſophica ac Theologica hic maximè florent. Certè Cracouienſes Mathematicis diſciplinis vacaſſe, & ſiderum curſus, temporum vices, incerta bellorum, vtramque hominũ fortunam, & fatorum arcana perquiſiuiſſe, aſſerit Iouius libro XIII. Hiſtoriarum. Poſt vltimam Academiæ inſtaurationem, plurimum deinde ſplendoris atque opulentiæ ei acceſſit ex diuerſis Magnatum, Prælatorum, Doctorum, & Eccleſiaſticorum hominum teſtamentis ac legatis. Multa verò ſunt, quæ Cracouienſem hanc Vniuerſitatem vehementer commendant: elegans loci amœnitas, facilis victus commoditas, hoſpitiorum & gymnaſiorum diſtincta frequentia, vberrima linguarum, artium, omniumque diſciplinarum mercatura, ac doctrina, bibliothecæ ac typographiæ inſtructæ; &, quod caput eſt, vnius Catholicæ Religionis exercitium & ſtudium ardentiſſimum. Ac proinde ex ampliſſima hac & celeberrima litterarum officina multi ſummi ac præſtantiſſimi viri in omni diſciplinarum genere prodierunt, quorum ingenioſa & exquiſita opera publicis litterarum monumentis commiſſa exſtant. Quinetiam non pauci Academiæ huius alumni iam Eccleſiæ Dei, & nobiliſſimo Poloniæ regno in publicis conuentibus & actionibus, vti & in Prouinciarum & opidorum gubernatione vtiliſſimam operam præſtant.

Optan-

Optandum ſanè eſſet, è tanto eruditorum Polonorum numero excitari aliquem, qui illuſtrium virorum ex hac Academia ortorũ catalogũ conſcribat: quemadmodum elegantiſſimum opus non ita pridem prodijt, quo præter vultus ac corporis lineamenta æneis typis expreſſa, eorum Polonorum, qui ob vitę ſanctitatem & miracula, Diuorum numero adſcripti ſunt, vita ac res geſtæ deſcribuntur. Plurimum certè vniuerſa Polonia Cracouienſi huic Academiæ debet. Nam, vt Staniſlaus Orechonius Roxolanus ad Illuſtriſſimum Cardinalem Staniſlaum Hoſium ſcribit, Poloni ex litteraria hac officina conſequuti ſunt, vt qui priùs ἄμουσοι & ἄνομοι inter mortales habiti, iam incredibili optimarum artium ſtudio flagrent, & per inclytam hanc Vniuerſitatem liberaliũ ſcientiarum nitore cæteris ferè gentibus præſtent: adeò vt Latinæ Linguæ in toto regno vulgaris quaſi eſſe videatur vſus; & ne in media quidem Italia Latio ve quis tam multos vulgò reperiat, qui Latinè loquentem intelligere, & ad rogata reſpondere poſſint. Ecce enim ipſa Cracouia tum inquilinos ciues, tum exteros Latinis verbis doctiſſimè ſalutat.

In Arcis Cracouienſis porta ita legitur:

Ama oſurus: Odi amaturus.
Ne quid nimis.
Cunctis eſto benignus: Nemini blandus.
Paucis familiaris: Omnibus æquus.
In aduerſis fortis: In proſperis cautus.
Memorare nouiſſima, & non peccabis.

In Regij Conclauis ianua.

Digito compeſce labellum.
Occaſionem noſce.
Noſce teipſum.
Tecum habita.

In Sacello à Sigiſmundo I. Polon. Rege exſtructo.

Bonus bonis & malis.
Iniuriam odio proſequere.
Vir prudens ſeruit tempori.
Pro patria mori ne timeas.
Mors bona initium vitæ.
Nonne duodecim horæ diei?
Nemo ſapiens niſi patiens.
Prudens conſilium ratione regē.
Nulla beſtia nocentior adulatore.
Supra vires tentandum nihil.
Operoſum placere cunctis.
Quod facis, exſpecta.
Citò violatur auro iuſtitia.

Manſuetioribus Camœnis.
Fata viam aperient.
Virtus labore niteſcit.
Iniuriarum remedium optimum obliuio.
Inimici hominis domeſtici eius.
Summum lucrum, iuſtum præmium.
Idonea tempora noſce.
Inuidiam obliuione vlciſcere.
Inteſtina diſcordia, peſtis Reipublicæ.
Patienter ferenda quæ mutari non poſſunt.
Fraude perit virtus.
Leges in plebem vim habent; in potentiorem obmuteſcunt.
Neſcias quod ſcis ſi ſapis.

In AEdibus Lithuaniæ Ducis D. Alberti Razeuillij.

Minus in paruis fortuna furit.
Rebus in paruis parua lætitia.

Sola ſub occiduo virtus manet orbe perennis:
Omnia mortali cætera ſorte cadunt.

In foro Cracouienſi.

Non benè ſi domus hæc cuiquam fabricata videtur;
Sic ſinat hanc nobis, corrigat ille ſuam.

Ibidem.

Ni Deus ædificet, fruſtra domus vlla paratur.
Felices ciues datque facitque Deus.
Infelicitas nemini obijcienda.
Bona opinio, dulcis pecunia.
Adſit quiſquis amicus.
Mors deridet curas.
Eſt Iupiter omnibus idem.
Neſcia torporis virtus.
Deſperata ne tentes.
Perficienda aggredere.
Vbi opes, ibi amici.
Vana mundi curioſitas.
Neceſsitas probat amicitias veras; fictas detegit.
Inſtar ſi flammæ arderent corda inuida: ſanè
Non tanto in precio ligna cremanda forent.

Ibidem.

Vetus hic & vſitatus hypocritarum mos eſt, quòd, impietatis, cui ipſi maximè obnoxij ſunt, alios eoſque innocentes accuſent, ac eo quoque nomine trucident.


Ibidem.

Curioſum genus hominum ad cognoſcendam vitam alienam; deſidioſum ad corrigendam ſuam.

Similia paſſim quum Cracouiæ, tum in alijs Poloniæ ciuitatibus, non Latinæ modò linguæ ſummam elegãtiã, ſed & ſingularem ſapientiam ſpirantia dicta, & parietibus inſcripta legas, & etiam è vulgo hominũ audias.

Hæc de Sarmatica hac Tripoli, ſeu Pentapoli potiùs, ſi quis Cerdonum vicum & Stradomiam annumeret, dicta hoc loco ſufficiant: in quam, *Ciuium frequentia, Sede Regia, & Muſarum ſtudijs* florentiſſimam, nos Epigrammation hoc luſimus:

Africa quid Tripolin iactas? quid Syria? nidos
Prædonum, terras, qui mare diripiunt.
Sarmatici en Tripolin poſitam melioribus orbis,
Viſtula quà Vauelum præterit, auſpicijs.
Cur Tripolis? Triplex quid vult diſtinctio? nempe
Hic homines, hic Rex, hic habitantque Deæ.



LOBZOVIA
CLEPARDIA
CASIMIRIA
1. Templum S. Crucis.
2. Habitatio Episcopi.
3. Noua habitatio Iesuitarum.
4. S Stephani.
5. Lapidea dicta sub ære.
5. Templum S. Annæ
7. Colleguim.
8. Portula S. Annæ.
9. Aula Episcopi.
0. Schola Iudæorum.
S. FLORIAN
Noua Turris.
Palacia S.R.M.tis
S. Stanislai.
S. Michaelis.
S. Andreæ
S. Martinus
Curia Pontificis.
S. Valentin.
S. Philippi Iacobi
S. Florian
Prætorium.
Porta S. Floriani.
Oppidum Iudeorum
S. Benedicti.
Tumulus dictus Rekauka.
Prætorium
S. Catharina.
S. Iacobi
Habitatio Hortulary S.R.M.tis
Magister Culinæ S.R.M.tis
Nobiles equites
FLV
VI

MONTIS CALVARIÆ IN POLONIA,

ad similitudinem eius qui in Palæstina est, Typus.

SI magni nominis fluminum capita & fontes adspicere, volupe nobis ducimus: quanto magis Christiano homini iucundum erit ea videre atque obire loca vnde omnis nostræ salutis fons emanauit? Et certe inspectionem eorum locorum quæ Redemptor noster vestigijs suis impressit, & sanctissimæ vitæ suæ actionibus consecrauit & dedicauit, plurimum momenti ad pietatis conferre studium, & cuiuis qui ferreis non rigeat præcordijs, acres ad vitæ emendationem addere stimulos, diuinumque amorem mirifice in cordibus accendere, & per se notum est, & testantur qui hoc ipsum experti sunt. De quo pius & eruditus scriptor, Ludolphus de Saxonia sic scribit: *Ad terram sanctam quam vniuersæ Christi Ecclesiæ nocte dieque sociare, non desinunt, quam bonus ille Jesus inhabitando, & verbo vel doctrina illuminando, illuminatam suo sacratißimo sanguine consecrauit, delectabile est aspicere, sed delectabilius eam oculis corporis intueri & mentis intellectu reuoluere, quomodo in locis singulis in ea nostram salutem Dominus operatus sit. Quis enim enarrare sufficit, quod deuoti discurrentes per loca singula in spiritu vehementi osculentur terram, amplectantur loca in quibus dulcem Jesum stetisse, vel sedisse, vel aliquid egisse audierunt? Nunc tundunt pectus, nunc fletus, nunc gemitus, nunc suspiria emittentes, gestu corporis & deuotionis quam foris ostendunt, & absque dubio intus habent, in lachrymas prouocant plerumque etiam Saracenos. Quid dicam de Patriarchis, Jacob, Ioseph, & fratribus eius? qui quia viui in terra esse non potuerunt, elegerunt in ea mortui sepulturam,* &c. Sed quid de sacris mirum hoc sit, quum apud Ciceronem Atticus testetur, Moueri nos locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia? Ille idem Atticus, *Me quidem,* inquit, *illæ ipsæ nostræ Athenæ non tam operibus magnificis exquisitisq; antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorũ virorum, vbi quis habitare, vbi sedere, vbi disputare sit solitus: studioseq; eorum sepulcra cõtemplor.* Hũc Attici affectum qui reprehendat, ab omni humaniori cultura alienus sit necesse est. Quanto magis ergo, non dico excusatione, sed summa potius laude dignum eorum est studium, qui locorum illorum, in quibus salutem Dominus noster operatus est, visendorum pio desiderio tenentur? Quia vero cuiuslibet res non ferunt, vt præsens ipse loca hæc adeat atque obeat; Illustrissimus Dominus, D. Nicolaus Zebrizdovviski à Zebrzidouize, Palatinus & Generalis Cracouiensis, nec non Sinatinensis, &c. Capitaneus, locum quendam quatuor à Cracouia distantem milliaribus, ei qui in Palæstina circa Montem Caluariæ est, persimilem notauit, & in omnibus quæ ad recolendam Christi Domini nostri passionem & mortem pertinent, ad normam Hierosolymitani situs & dimensionis accommodauit; rara liberalitate & ingenti sumtu FF. Minorũ S. Francisci de Obseruantia Monasterio ac templo elegantis structuræ, nec non varijs sacellis, vnà cum Xenodochio, erectis. Qui locus multorum fidelium tam incolarum quam peregrinorum votis & oblationibus celebratur; per Romanos Pontifices Christi in terris Vicarios, amplissimis è sacro Ecclesiæ thesauro Indulgentijs locupletatus.

Tu lector, tanti viri pietatem suspice, & æmulare; eidemque vti par est, bene precare.


MONS
CALVARIAE
PAVLVS V. PONT. MAX.
locum hunc Benedictione Sua prosequi et Indulgentijs ditare dignatus est.
Heremitorium V. fratrum Polonorum.
Landscorona
IHS
S. MICHAEL
DEFEN. NOS
Sepulcrum Domini
Domus B. Mariæ
Porta
Palatium Herodis
Cœnaculum
Domus Annæ
Palatium Pilati
Capell. S. Raphaelis Archiang.
DEXTERA DOMINI FECIT VIRTVTEM.
NICOLAVS A ZEBRZIDOVICZE, PALATINVS ET GENERALIS CRACOVIENSIS, SNIATHINENQZ CAPITANEVS EREXIT FVNDAVIT.
ANNO CHRI. M.DC.
Inveninus eam In Campis Siluæ.
Virginis.
Piscina probatica.
Ecclesia S. Michaelis
Hortus oliueti
Occidens
Oriens

POSNANIA

VT Cracouia minoris, sic Posnania (Posen Germanis) maioris Poloniæ est metropolis, illiusque æmula, quinquaginta circiter ab ea distans milliaribus, sub gradu longitudinis XXXIX. latitudinis vero LII. minut. XXX. ad Vartham fluuium nauigabilem & Prosnam amnem inter colles condita. Muro duplici fossaque profunda cingitur. Aedes in ea pulcherrimæ, è sectis lapidibus cõstructæ. Arcem habet muratam, in colle editori inter Vartham & Prosnam fluuios sitam. In vlteriori Varthæ ripa suburbia sunt amplissima, stagno ingenti paludibusq; circumdata, quæ frequenter, vt & circumiacentes pagi Varthæ exundatione sic obruuntur, vt nonnunquam fastigia ædium ex aquis exstantia vix conspiciantur. Nec ab hoc incommodo ipsa vrbs immunis est, intra muros aliquando tam alte aqua restagnante, vt in foro & plateis passim nauigetur. Sed hoc incommodum tanto facilius ferri potest, quod paucorum, & vt plurimum, duorum tantum aut trium dierum sit. Emporium est, earum præsertim mercium quæ ex Germania importantur, frequentissimum. Hic enim nundinę ternæ quotannis celebrantur. Primæ in principio Quadragesimæ, quæ quatuor hebdomadis durant. Secundæ initium habent in profesto S. Ioannis Baptistæ, quinque durantes hebdomatis. Tertiæ à profesto S. Michaelis, quæ quinque integras hebdomadas à varijs nationibus frequentantur.

Huic eidem vrbi non exiguum decus Episcopalis conciliat dignitas: quæ idem cum Christiana religione in Polonia initium habuit, vtpote à Miecislao, eo qui primus è Poloniæ Regibus sacro lauacro tinctus, Christianorum sacra & & ritus accepit, & in regno promulgauit instituta. Tantis vero immunitatibus Episcopatus hic fruitur, vt, quoad illas pariter è passu cum Gnesnensi Archiepiscopatu incedat. Præter vacationem enim omnium laborum atque onerum, & immunitatē pensionum quæ Principibus Ducibusve debentur, vti & omnium sæculariũ iudiciorum exemptionem, Vladislaus Rex, cognomento Sputator, Archiepiscopo Gnesnensi, & Episcopo Posnaniensi monetam cudendi & venandi in syluis ac bonis suarum Ecclesiarum (quod antea nemini præter Principem licebat) potestatem fecit. Idem Crobriam quoque amplum & locupletem pagum, Sulcouam prius dictum, nunc opidum Posnaniensi Episcopo donauit. Certe tanta fuit Posnaniensium Episcoporum olim auctoritas, vt quum Vladislaus, is qui Locticus dicitur, ob vexata Ecclesiæ bona & boni Regis partes negligentius obitas, ab Andrea Episcopo excommunicatione perculsus esset, is ad se reuersus Episcopo paruerit ac satisfecerit.

In Basilica huius vrbis quæ S. Marię Magdalenę dicata, & eleganti turri nõ exiguę altitudinis exornata est supradictus Miecislaus primus Christianæ religionis in Polonia plantator, & eiusdem Basilicę fundator, sepultus est. Hic Christiana religione initiatus, & vna cum proceribus quos circa se habebat, baptizatus, publico Edicto mandauit, vt omnes tã opidorum quam pagorum incolæ, tam Nobiles quam plebeij, vbi dies septima mensis Martij illuxisset, idolis omnibus passim concussis & confractis, aqua salutari itidem abluerentur, & Christianorum posthac sacra colerent atque obirent. Inde in maiori Polonia mos inualuit, vt pueri quotannis ipsa die quæ Dominicam Lætare dictam precedit, idoli cuiusdam imaginem faciant, eamque per vicos passim circumgestatam, tandem in cœnum aut paludem abijciant ac mergant, statimque ex eo loco quam celerrime aufugiant.


Præter supra nominatam S. Mariæ Magdalenæ basilicam est in ipsa quoque vrbe templũ & Monasterium Fratrum Ordinis Prædicatorum. Extra vrbem vero Oriẽtem versus, loco amœnissimo exstructa cernitur Ecclesia Cathedralis augusta, cui duæ turres adiunctæ sunt: ad cuius dextram est Curia Episcopalis, satis elegans; ad leuã vero sunt Collegiũ Lumbrantianum, Oratorium S. Michaelis & Prælatorum ædes: Ad hanc fere vsque *Vallisouo* suburbium, opidi æquãs magnitudinem, porrigitur. Ad occidentem vero hibernum elegans templũ visitur, SS. Corpori Christi dicatum, eo in loco vbi Anno 1399. Corpus Christi in specie panis ab infelici quadam muliercula sumtum, Iudæis primo venditũ deinde in pratis suburbanis abiectum, insigni miraculo sese ipsum ostendit: in cuius memoriã Vladislaus Iagello Rex prædictum templum ibi loci condidit, & SS. Corpori Christi consecrauit. Ad id habitant Fratres Ordinis Carmelitarum. Est quoque ibidem Monachorum Franciscanæ familiæ qui vulgo Minores de Obseruantia dicuntur, cœnobium. Ad septentriones ecclesia est Parochialis S. Martini. In ipsa vero vrbe Cœnobium est Deo dicatarum Virginũ, sub Dominici regula & institutis viuentium, Anno 1595. à Præmislo Rege, Marchionum Brandeburgensium insidijs postea interfecto conditum.

In hac eadem vrbe Lubrantius, immortali memoria dignus Episcopus non Collegium modo supradictum, sed & Academiam instituit: quã à successoribus neglectam, Adamus Conarius Episcopus ita nõ pridem singulari cura & munificentia restaurauit. Sed nihil illustrius, nihil ad bonarum artium mercaturam vberius atque aptius habet Posnania, quam insigne illud Societatis Iesu Collegium ad Templum B. Stanislao dedicatum: ad cuius laudem vel vnum illud satis est, quod celeberrimum illum & Theologum & omnis litteraturæ peritissimum virum, Antonium Posseuinum produxit. Satrapiæ huius Pręfectus (Palatinum vocant) cum Cracouiensi velut dignitatis prerogatiuam partitus, alternis vicibus modo priorem modo posteriorem, quum in publico consessu, tum in suffragijs ferendis, locum obtinet.

CROSNA.

AD territorium Episcopalis ciuitatis Premisliæ (quę etiam Castellani fulget dignitate) pertinet *Crosna* opidum muro cinctum, quod Iasiolda fluuius circumluit, Visloca vero medium interfluit, multisque commoditatibus auget & iuuat. Nomen habet ab instrumentis textorijs, quæ lingua illa *Crosna* dicuntur: quod opidum hoc pannificio nobile semper fuerit, & adhuc sit. Situm est & ipsum in confinibus Hungariæ, solo admodum fertili & amœno.


POSÑANIA
elegans Poloniæ in fi-
nibus Silesiæ Ciuitas.


CROSNO
1. Templum S. Iacobi.
2. Templum S. Alberti.
3. Monasterium Francisc.
4. Fara.
5. Curia.

VARSOVIA.

MASSOVIA & doctiſſimorum & fortiſſimorum virorum fœcunda prouincia, quum antea communi totius Poloniæ nomine cenſeretur, tunc primùm peculiarem adepta eſt appellationem, quum Maſlaus ſiue Maſos Miecislai Polonorum Regis pocillator mortuo Rege, ardente bellis ciuilibus regno, prouinciæ dominationem inuaſit, circa annum Chriſti M.XXXIV. eamq́ue de ſuo nomine Maſſouiam vocauit. Verùm is à Caſimiro I. dein vnà cum Prutenis auxiliaribus victus, & tamdem etiam ſupplicio affectus, vitam cum Principatu amiſit; nomen tamen ſemel regioni inditum ab eo tempore manſit, quamuis prouincia ad ampliſſimi regni corpus reuerſa. Viſtula, Narua, & Bugo irrigatur; & Vros, quos & Turos patria lingua vocant, boum ſyluestrium genus nigrum, alit. A Septemtrionibus Pruſſiæ conterminata eſt; ab Ortu Lithuaniæ; à Meridie & Occaſu Ruſſiam & Poloniam propriè ſic dictam attingit.

Metropolis eius eſt VARSOVIA, ad Viſtulam fluuium ſub gradu longitud. 43. latitud. 52. & 20. minut. ſita, foſſa & duplici muro inter paucas non Poloniæ modò, ſed totius Sarmaciæ ciuitates, egregiè munita, pari ferè ſpacio, nimirum quadragenis milliaribus, à Cracouia & Poſnania diſtans. Vetuſtam eſſe vrbem vel id argumento eſt, quòd de prima eius origine ſeu fundatione nihil hiſtoricorum monumentis proditum inuenitur. Quamuis autem ſub Maſſouiæ Ducibus præ cæteris eius prouinciæ ciuitatibus floruerit; dici tamen vix poteſt quanta acceperit incrementa, poſtquam Maſſouia Poloniæ regno immediatè, vt loquuntur, adiuncta fuit; adeò vt veteri Varſouiæ noua acceſſerit: quæ vt ædificiorum elegantia alijſque rebus illi parum cedit, ita peculiarem habet iuriſdictionem. Vtraque tam publicis quàm priuatis ædibus è viuo ſaxo conſtructis, mirificè exornata eſt. In veteri quidem inſigne eſt Prælatorum, Canonicorum, & Vicariorum Collegium, ab Alberto Iaſtrembecio Poſnanienſi Epiſcopo inſtitutum, ope & liberalitate Ioannis Maſſouiæ Ducis, qui luculentos reditus de bonis ſuis, ac de decimis à Plocenſi Epiſcopo permutatione quadam redẽptis & acquiſitis, necnon parœcias aliquot & quædam alia ſacerdotia, ſuppreſſis veteribus titulis, Collegio iſti addixit. Noua verò duas inſignes habet Eccleſias: Parochialem S. Mariæ Virgini ſacram & alteram Monaſterij Canonicorum Regularium. Vtrique ciuitati ſuburbia prætenduntur non minùs ampla, quàm pulcris diſtincta ædibus, non vulgarium oppidorum ſplendorem facilè æquantia: in quibus omnis generis artifices habitant, quorum opera inprimis laudantur.

Arcem habet Varſouia Orientem verſus; primùm quidem à Maſſouiæ Ducibus è lignea materia conſtructam; quæ deinde à Sereniſſimo Rege Sigiſmundo Auguſto inclytæ memoriæ, in firmiorem & è ſaxo & lateribus benè concinnatam ſtructuram eſt commutata. Tandem etiam Sereniſſimus Rex Sigiſmundus III. hodie regnans, ligneam, quæ in Arce adhuc ſupererat, ſtructuram deijci iuſſit, alia è ſaxo ſubſtituta: eaq́ue re & regiæ Arci & nomini ſuo non paruum decus addidit.

Etſi autem Viſtula fluuius ad Varſouiam lato admodum & profundo feratur alueo: idem tamen Sigiſmundus Auguſtus ligneum ei pontem impoſuit, ingenti ſumptu conſtructum, tantæ longitudinis, vt mille & centum ac quinquaginta paſſus excedat: cui ſanè ſi vel lõgitudinem vel ſumptuum magnitudinem ſpectes, vix in tota Europa parem inueniri dixeris: quin etiam ſine admiratione aſpicere non poſſis. Cuius operis pars non minima fœminæ debetur. Ea Anna eſt, dicti Regis ſoror; quæ, incertũ maiori animo an liberalitate, opus à fratre Rege cœptum, ſed immatura eiuſdẽ morte interruptum, ſuis ſumptibus abſoluit ac perfici curauit; addita turri lapidea, cui affixa tabula ænea cum inſcriptione, eius rei memoriam ad omnem poſteritatem ſeruatura. Sed quum, vti Cicero ait, nihil ſit manufactum, quod non conficiat vel vis, vel conſumat vetuſtas: pontem hunc paucos ante annos tam aquarum, quàm glaciei impetus ita deſtruxit atque abripuit, vt nullum eius hodie ſuperſit veſtigium.

Ex aduerſo Arcis ſita eſt Bernardinorum Conuentualium Eccleſia. Tum extra ciuitatem Oratorium conſpicitur ſanctiſſimæ Trinitati ſacrum, priuati hominis Varſouienſis ciuis pia liberalitate erectum ac dotatum; à Sereniſſimo Rege Stephano auctum muroq́ue incluſum, & alendis emeritis militibus deſtinatum. Ad Auſtrum iuxta Oratorium S. Crucis Hoſpitale eſt, priuatæ itidem fœminæ ſumptibus ex lateribus conſtructum, & annuis prouentibus locupletatum. Nec procul inde Eccleſia eſt, non ita pridem ædificata, in qua Dominicanæ familiæ Religioſi ſacris operantur. Ad Occidentem verò Oratorio S. Spiritus lateritio aliud Xenodochium adiunctum eſt, vbi in pauperibus, miſeris ac deſolatis Chriſtus frequenter reficitur.

Quantas verò vrbs hæc opportunitates quum è præterlabente Viſtula, tum ab circumiecti agri fertilitate percipiat, & res ipſa teſtatur, & illud etiam arguit, quòd ex omnibus Poloniæ ciuitatibus hæc præcipuè delecta ſit, vbi totius regni comitia habeantur. Narrant fide digni hiſtorici, ad comitia, quæ Anno M.D.LXXV. Varſouiæ de Rege eligendo indicta fuerant, circiter triginta millia è Nobilitate (non accenſitis famulis & domeſticis) veniſſe, quum multò plures venturos opinio fuiſſet: quibus omnibus hoſpitia circa vrbem (in qua Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, Caſtellani & Præfecti pernoctabant) nec longiùs IV. milliaribus diſtributa fuerint. Quis non miretur, quum centum circiter Equitum millia tunc intra quatuor milliarium ſpacium circa vrbem diuerſarentur, per XL. amplius dies, non pabulum equis, non carnes, non piſces ac cætera eſculenta, ac ne vinum quidẽ tot hominibus defuiſſe? quarum omnium rerum & magna ſemper copia fuit, & ſumma in tanta capitum multitudine vilitas. Illud verò omnem fidem ſuperat, quòd nullæ ſimultates aut rixæ toto eo tempore in tam numeroſa Nobilitate auditæ ſunt: quaſi de Republica ſollicitis omnium animis, omnem iniuriæ & odij ſenſum depoſuiſſent. Ex quibus tam Varſouiani territorij ſumma & vbertas & commoditas, quàm eximia Polonicæ Nobilitatis diſciplina ac grauitas præclarè eluceſcunt.

Porrò vt Varſouia quaſi in meditullio totius regni Polonici ſita eſt; ita mercibus omnibuſq́ue rebus per ſecundum & aduerſum Viſtulam & deuehendis & ſubuehendis, atque inde per vicinas regiones ac loca diſtrahendis maximè eſt opportuna. Vnde fit, vt mercatores habeat locupletes, qui longè lateq́ue amplam ac quæſtuoſam negociationem exercent. Non hîc aromata, non vina cuiuſuis generis, quamuis è remotiſſimis aſportata locis deſunt. Cereuiſiæ quidem vt in tota Polonia, ita Varſouiæ quoque promiſcuus eſt vſus: qui potus in Pruſſia quidem ex hordeo, in cętera verò Polonia, etiam è tritico minutatim contuſo, aqua cum lupulo decoctus, ſalubriter paſſim & iucundè bibitur. Mel quoque itidem cum lupulo aqua decoctum in frequenti vſu eſt, Ruſſis præſertim & Podolijs, apud quos permagna eſt apum & mellis optimi ex dictamo & alijs benè olentibus herbis ac floribus collecti copia. Nec Maſſouijs mel deeſt, qui & ipſi potum inde conficiunt, *Medonem* vulgò appellatum: qui Varſouiæ ſucco è ceraſis rubive malis expreſſo, aut aromatibus condiri, ac pro ratione condimentorum, Kerſtrangi, Malmici, & Tromici nominibus inſigniri ac diſcerni ſolet.

Illud denique coronidis loco ſubiungere placet. Quemadmodum plerique omnes Maſſouij diuini cultus ac pietatis imprimis ſtudioſi ſunt; ita Varſouiæ ciues hactenus in maiorum religione & inſtitutis conſtantes, profanas hactenus omnium hæreſeon nouitates deuitaſſe: vt quibus illud non minùs ſalubriter quàm verè perſuaſum eſt, Religione mutata, parum abeſſe, quin Reipublicæ quoque ſtatus mutetur, immò pronus ad interitum ruat.


VARSOVIA.
VIS TVLA FLV VIVS
MILES POLONVS
NOBILES POLONIAE

LVBLINVM.

INTER celeberrimas Polonici regni ciuitates à prima proximum fere locum LVBLINVM ſibi vindicat, dignitatis prærogatiua & magnitudine quidē nonnullis, at ſitus amœnitate, ſubſtructionum ſuperbia, vt & munitionum firmitate nulli cedens. Poſita eſt verſus ortum æſtiuum, ſub gradu latitudinis XLV. longitudinis LI. & paullo amplius. Primum eius conditorem ferunt Vladiſlaum Ducem: qui loci ſequutus opportunitatem, Scytharum ſiue Tatarorum incurſionibus hoc propugnaculum obiecit: quod deinde Caſimirus cognomento Magnus partim refecit, partim nouis mœnibus atque operibus cinxit: eoque ferocium ac barbararum gentium inſultus non à Polonia tantum, ſed Sileſia etiam ac Morauia auertit. Diſtat Cracouia triginta ſex, Varſouia viginti quatuor, Sandomiria quatuordecim, Vilna Lithuaniæ metropoli ſeptuaginta milliaribus. Muri prælti ac foſſa profunda tutam eam non contra tumultuariam modo inuaſionem, ſed ſtatariam quoque oppugnationem reddunt: multum loci mutationem adiuuante ipſa natura, ingentibus circumfuſis ſtagnis, vario piſcium genere abundantibus, & quum ad irrigationem, tum ad nauicularias recreationes ſeruientibus. Eorum vnum ad ortum ſpectans, tanta eſt magnitudine, vt inſulam habeat læta & graminis & arborum viriditate conſpicuam. Ipſi ſtagno paſſim appoſitæ ſunt villæ ſuburbanæ; quarum amœnitas æſtiuo in primis tempore à ciuibus frequentatur. Sed Arx præcipue & loci natura & operibus munitiſſima, in colle eminentiori ad ſtagnum ſita, & vrbi ponte iuncta, incredibile ornamentum tam vrbi quam vniuerſo huic tractui affert. Eſt enim & magnificis ædificijs, & præcelſis turribus conſpicua: quæ & commodiſſima vel Regibus ad habitandum palatia & conclauia & firmiſſima ad quamcumque vim excipiendam propugnacula præbent.

Iam vrbs ipſa magnificis quum publicis tum priuatis, quum ſacris tum profanis ſtructuris mirum in modum exornatur. Ac primo Templum habet ſeu Oratorium B. Mariæ Virgini ſacrum, cum Monaſterio Deo dicatarum Virginum, quod vulgo S. Brigitæ de Triumpho appellatur: cuius quidem Ordinis ſiue Congregationis Monaſteria tribus tantum, quam late Chriſtiana patet religio, per vniuerſum Orbem locis, & quidem in ſola feliciſſimi Sigiſmundi Regis ditione, inueniuntur. Primum nempe in regno Sueciæ. Secundum hic Lublini, in regno Poloniæ. Et tertium Gedani ſeu Dantiſci, in Pruſſiæ Ducatu. Eſt & aliud ibi tēplum Patrum Bernardinorum, nuncupatione Conuerſionis S. Pauli, cum clauſtrali Regularium Conuentu: in quo complures ſacram religionem profeſſi, ſingulari deuotione ac pietate ſacris operantur, & ciuibus ad virtutem prælucent. Eſt inſuper aliud è lapide exſtructum templum, S. Spiritus titulo, tum Præpoſitura, vt vocant, & rerum diuinarum adminiſtratione celebre. Sed vt eximijs tam in Eccleſiam quam Rempublicam meritis Societas Ieſu excellit, ita eiuſdem Templo ac Collegio vix quidquam eſt ſplendidius. Illud S. Ioanni Baptiſtæ ſacrum, foris quidem venuſta admodum ſtructura oculos mire afficit, intus vero raro ſacræ ſupellectilis, & imaginum nitore atque elegantia, tum quotidianis Patrum ſacrificijs, frequentantium mentes ad deuotionem incredibili quodam modo excitat atque accendit: Hoc vero vt ſpatio ampliſſimum, ita vſu commodiſſimum, tum ſtructura magnificum, aſſiduis doctiſſimorum virorum prælectionibus, ac frequentibus numeroſæ Iuuentutis exercitijs ita floret, vt Religionis ac bonarum literarum officina, & tam Eccleſiæ quam Reipublicæ ſeminarium merito dici poſſit. Felices hoc tanto theſauro Lublinenſes, qui recta & accuratiſſima liberorum ſuorum inſtitutione non modo ſecuri ſunt; verum etiam hac eadem ratione de vicinis & exteris bene merentur. Ingens hoc beneficium Lublinenſes, poſt Deum immortalem, Andreæ Comitis Tenzinij, Palatini Cracouienſis, liberalitati debent, qui non ſolum Societatis recipiendæ auctor fuit, ſed etiam ampliſſimam eipem domū aſſignauit, eamque omnibus modis promouit & ornauit. Templum Collegio Prædictæ Societatis vicinum, vetuſtiſſimum eſt, altiſſima turri conſpicum, à Leſcone Nigro Poloniæ Rege conditum; qui quum ingentem barbararum Nationum exercitum paucis Polonorum copijs fudiſſet, nobile hoc victoriæ ſuæ monumentum erexit, ac B. Michaeli Archangelo, quem in ſomnis victoriam ſibi pollicentem viderat, conſecrauit: quod vetuſtate aliqua ex parte collapſum, laudabili pietate magiſtratus Lublinenſis, ad conſeruandam perpetuam tantæ victoriæ memoriam, refici ac reſtaurari curauit. Non procul inde Templum viſitur, S. Stanislao Cracouienſi quondam Epiſcopo, martyrij palma inclyto, dicatum: cui annexum eſt Monaſterium, in quo multi viri Religioſi, ſanctitate & eruditione fulgentes, ſub Regula & inſtituto S. Dominici Deo ſeruiunt, & tam ſibi quam ciuibus vtilem operam præſtant. Paullo vlterius in decliui vrbis loco S. Alberti Eccleſia conſpicitur, & Xedonochium, cum dicta Eccleſia non ita multos ante annos ædificatum. Inde eminentiori in loco S. Nicolai viſitur Eccleſia. Tum alia lignea, perantiqua, in qua Ruthenorum ſeu Græcorum more ſacra fiunt, Czerlievv vulgo nuncupata. Inde prætorium ſeu Curia in medio Ciuitatis foro, elegantiſſima turri ornata conſpicitur in qua totius regni Conuentus habentur, & quinque fere ęſtiuis menſibus iudiciaria Parlamenta celebrantur; quo tempore tantus ex omnibus Regni Ordinibus eo fit hominum concurſus, vt locus eis capiendis vix ſatis ſit. Hic Dux Pruſſię homagium ſeu iuramentum fidelitatis atque obedientię Regi ac Regno Poloniæ præſtitit, & adhuc pręſtare ſolet, hic diſſidia & contentiones Magnatum acerbiſſimæ componuntur, ijque inter ſe ad concordiam & pacem rediguntur. Et quod maximum eſt, hoc eodem in loco feliciſſima duarum potentiſſimarum gentium. Polonorum & Lithuanorum, ante diu tentata Vnio finem habuit optatiſſimum. Nec minus vrbem hanc Nundinarum commendat celebritas, quæ ter quotannis ibi celebrantur, ac ſingulæ menſem circiter durant: ad quas ex remotiſſimis Mundi partibus variæ gentes, Germani, Græci, Armeni, Arabes, Moſcouitæ, Scythæ, Galli etiam, Itali atque Angli confluere ſolent. Ibidem quoque Iudæorum nimis quam magnus reperitur numerus, in ſuburbijs fere habitantium: qui etiam præcipuam totius Poloniæ hic ſynagogam habent. Non paruum quoque decus Lublinenſi vrbi addit inſigne Palatium Illuſtriſſimi Domini Marci Sobiesqui Palatini Lublinenſis, in loco eminentiori, mira induſtria & ſumtibus non exiguis conſtructum. Nec procul inde abeſt Ptochotropheum, amplis ędificiis & lōgo ambitu venuſtum, æternum Chriſtianæ Lublinenſium ciuium Charitatis monumentum. De priuatis ædificijs quid dicemus? quorum nonnulla, ea præſertim, quæ in editiori vrbis parte ſunt poſita, inſignem elegantiam atque magnificentiā oſtentant.

Iam vt hoc quoque addam, ager circa Lublinum fertiliſſimus, omnis generis fruges non magna modo copia, ſed & ſingulari bonitate producit: ſic vt Gedani & tranſmarinis in locis eius ſoli frumenta præ cæteris laudentur atque expetantur. Vnde minus mirum eſt, vrbem hanc præ cæteris florere; nihilque hic deeſſe quod vel ad vitæ vſum ac neceſſitates, vel etiam ad voluptates ac magnificentiam vllo modo ſpectet.



TIPVS CIVITATIS LVBLINESIS
IN REGNO POLONIÆ EX OMNIBVS
PARTIBVS MVDI EMPORIO TER IN
AÑO CELEBRARI CÕSVETO CLARÆ
T. S. Ioannis Baptistæ
Porta
T. S. Pauli
T. B. Mariæ Virginis
S. S. Trinitatis
T. S. Nicolai
1. Ecclesia S Crucis extra Ciuitatem.
2. Prædium Patrum Societatis IESV
3. Officina aquæductus et canalium sursum aquam præmens.
4. Dealbatorium
5. Turris vbi aqua in Ciuitate artificiose deducitur.
6. Officina vbi puluis tormentarius conficitur.
7. Curia
8. Templum S. Spiritus.
9. Hospitale.
10. Domus Patrum Societatis IESV
11. Templum vetustissimum à Lescone Pol: Rege condit.
12. Prætorium.
13. Templum S. Stanislai.
14. Porta ciuitatis in arcem ducens.
15. Templum S. Adalberti.
16. Xenodochium seu Hospitale B. Lazari
17. Pons ciuitatem et arcem diuidens.
18. Arx splendido et vere Regali apparatu
19. Templum Ruthenicum.
20. Suburbium.
21. Stagnum spaciosum ac profundum piscium varietate.
22. Officina papyracea.

LEOPOLIS, RVSSIÆ AVSTRALIS VRBS PRIMARIA, CELEBERRIMVM ORIENTALIVM MERCIVM EMPORIVM.

LEOPOLIS (Lemburg Germani vocant, corruptè, puto, pro Lewenburg) à Leone, Danielis Russorum Australium potentissimi Regis filio, Romani, Vladisniriæ & Haliciæ Ducis, nepote, nomen accepisse videtur, circa annum Christi M.CC.LXXX. vt putant nonnulli, condita. Metropolis est Russiæ Australis (quæ Polonici regni membrum est nobilissimum) sita sub gradu longitud. ferè XLVI. latitudinis XLIX. à Cracouia quinquaginta circiter milliaribus distans. Vrbs duplici fossa, vtraq; lata ac profunda, muroq; crebris turribus distincto munitur; omnis generis apparatu bellico contra hostiles insultus abundanter instructa. Emporium est celeberrimum ciuium elegantia & humanitate florens. Sedem hîc habet alter Poloniæ Archiepiscopus: vt & duo alij Episcopi, Russicus vnus, alter Armenicus. Arces habet duas: quarum vna ciuitatis muro includitur, altera verò eminẽtissimo scopulo extra opidum imposita, ab decem milliaribus conspectui patet. Olim quidem pleraq; ædificia è lignis & luto pro more istarum gentiũ constructa erant: postquã verò integra penè vrbs miserabili incendio vnius fermè horæ spacio ita conflagrauit, vt vix muri, & turres restarent, domus lapideæ ædificari cœperunt: atque ex eo tẽpore è lignea lateritia, atque etiã marmorea aliqua ex parte euasit. vicinis latumijs non saxa modò, sed gypsum etiã, marmor, atque adeò alabastritẽ lapidẽ suppeditantibus, tam pellucidum, vt similis vix alibi reperiatur. Sic accedente ad materiã artificũ atque architectorum industria (qui ex omnibus nationibus, Germani, Itali, Poloni, magno numero ibi degũt) in eã, quæ hodie exteris admirationi est, speciẽ ac pulchritudinẽ Leopolis effloruit. Curiam habet elegantem ac magnificã: cui forum prætenditur amplissimum, in quo merces omnis generis tam domesticæ, quàm exoticæ, tam necessitati quàm luxui inseruientes magna copia vænales exponuntur. In parte eius Orientali ædes decora Archiepiscopalis conspicitur. Videas hîc quotidie magnam mercatorum Germanorum, Italorum, Hungarorum, Moldanorũ, Armenorũ, Turcarum, Tartarorum turbam. Sunt etiam Iudæi, vt in tota ferè Polonia, nimis magno numero, qui velut hirundines, alienum sudorẽ & sanguinẽ exsugunt. Prætorium turri conspicuæ altitudinis decoratur. Hinc Africum versus Ecclesia est Metropolitana, Deiparę Virgini sacra, opus magni sumptus, nec minoris pietatis ac liberalitatis ab Casimiro & Vladislao Iagellone Catholicæ religioni exhibitæ. Vicinum huic est Canonicorum Collegium, & bonarum literarum Gymnasium: è quo nõ pauci doctissimi viri prodiere. Versus ortum visitur templum S. Crucis, cum Cœnobio Fratrum S. Francisci Minorum Conuentualium satis amplo, quod quidẽ arci inferiori est contiguũ. Ad Aquilonẽ sita est Ecclesia sacratissimi corporis Christi, Religiosæ S. Dominici familiæ sedes, sumptuosissimis structuris, non ita pridem aucta & ornata: Cœnobium nulli in tota Polonia secundum. Ea verò ciuitatis pars, quæ Eurum spectat, plena est Iudæorũ, qui priuilegijs & libertatibus, quas à Casimiro Magno Poloniæ Rege, Hesteris Iudææ cuiusdam amoribus irretito, habent maximas, ex omnibus mundi plagis huc confluxere. Synagogæ hîc illis binæ sunt, Procerum indulgentia concessæ. In eodem tractu etiam Russi nonnulli habitant, qui sumptu Magnatum Græcanicæ sectæ addictorum, templum ibi fabricæ magnificentia conspicuum nuper construxerunt: cui iamdudum turris lapidea eximia altitudine, sumptibus Generosi olim Domini Constantini Corneacti, addita fuit, non exiguũ vniuersæ ciuitatis ornamentum. Versus Septemtrionem Armeni templum habent, opus non contemnendum, ac peramplum: in quo illi suis ritibus sacra peragunt. Quum enim in Polonorum ditionẽ concessissent, hoc vnũ, sicut & Russi, pacti sunt, vt sua sibi religione liberè vti liceret. At velut Germani, qui olim in has sedes commigrarant, paulatim in Polonorũ mores transierunt, sic vt pro talibus hodie habeantur; sic Russi quoque paullatim deficere incipiunt. Vix enim vllus aduena hodie ciuitatis iure donatur, nisi qui Catholicã profiteatur religionem. Testatur id oculatus testis Georgius Dousa in Constantinopolitano suo Itinerario de Leopoli, ita ad patrem scribens: *Sunt in hac vrbe quatuor sectæ, nimirum, Latina, Græca, Armenica, Iudaica: Reformatæ tamen Religioni* (sic ille suã appellat) *summo studio ac vigilantia mirificè obsistunt*. Ciues Catholici singulari erga exteros hospitalitate ac comitate vtuntur, ijdemque licèt vberẽ mercaturã exerceant, domi tamen ac foris frugaliter viuunt. Insignis hic est VVolfeuioiorum familia, quæ ex Silesia originem ducit, cui pleræq; ex præstantissimis vel cognatione, vel affinitatibus, vel clientela sunt implexæ. Etsi verò superioribus bellis cõmerciorũ frequẽtia non parũ debilitata fuerit, floret tamen etiamnũ Leopolitanũ emporiũ, mercibus præsertim Orientalibus. Mercatores enim Turcici, Græci vt plurimum natione, qui sub sedula animaduersione iurati interpretis, ne monstri aliquid alant, hîc degũt, quotannis vltra quingenta dolia siue cados Maluatici vini huc conuehũt, ac distrahunt. Tum pannos sericos, holosericos, aulæa, aromata, aliasq; id genus preciosas merces, toti Poloniæ Regno vna hæc ciuitas abundè suppeditat. Ceræ inprimis è fauis expressæ vberrimus hîc est prouentus, adeò vt Germania, Italia, & Hispania, quantum eius ad vsum satis habent, petere hinc possint. Iam ad mẽsarum delicias, præter carnes omnis generis, ferinas & altiles, luciorũ piscium mirabilis hîc est copia, quibus tam recentibus quàm sale conditis (hoc enim tempore autumnali fieri solet) vix Tiberinos illos, inter duos pontes captos, & magni olim à Romanis ęstimatos, comparare ausis. Sunt enim circumcirca stagna quamplurima; nec desunt passim fluuij ac riui, in quibus cyprini, gobij, percæ, optimi saporis & vilis precij, magno numero capiuntur. Vino quidem magnum est precium, ex Hũgaria & Moldauia aduecto: sed ciues plerique mulsum & cereuisiam bibunt, liquores non sanitati minùs, quàm palato seruientes. Est etiam Leopoli officina æraria, in qua tormenta bellica funduntur ac conflantur: Armamentarium amplum, & omnis generis instrumentis bellicis instructissimum: tum publicum horreum, in quo tanta vis frumenti, vt magnæ hominũ multitudini longo tẽpore sufficiat. Typographeum quoque habet, è quo non pauci libri & Latinis, & Ruthenicis, & Græcis characteribus eleganter excusi prodierunt. Portæ ciuitatis duæ sunt præcipuæ, Cracouiensis ad Septemtriones, Haliciẽsis ad Austrum. Suburbia totidẽ: quæ indulgentia Magistratus adeò excreuere, vt mille & quingentæ amplius in eis domus numerentur: in quibus etiam non pauca diuersarũ religionũ templa. Alluit ciuitatem fluuiolus, vernacula lingua Poltevv dictus, non procul à laterificio Goldbergensi ortus, qui mœnia vrbis præterlapsus, à Meridie ad Austrum, inde intra montium ac nemorum conualles, & amfractus, vndoso alueo apud opidũ Busco in Bugiũ fluuium tandẽ deuoluitur. Hortis amœnissimis ager passim excultus est, variorum fructuũ feracibus, & topiaria arte ad æstiuas recreationes mirificè exornatis. Nec vineæ desunt, exiguæ tamen illæ, & vix centena vini dolia, nec sanè delicatissimi, quotannis præbentes. In hoc eodẽ tractu Polonicæ Nobilitatis flos habitat, Zolkieuiorũ, Ostrorogiorũ, Chodkieuitiorum, Donielouitiorum, Sborouiorum, Iaziouitiorum, Bietzaliorum, Corneactorum, aliæque illustres familiæ, quę multos magni nominis duces fortissimosque milites, & superioribus & nostris temporibus dederunt.

Porrò vt Russia Australis in prouinciam redacta Poloniæ regno plurimum & splendoris & potentiæ adiecit; ita hæc vna vrbs capta ad totam prouinciam subigendam multum habuit momenti: quod circa annum M.CCC.XL. factum legimus. Deficiente enim mascula stirpe liberorum Danielis Russorum Regis, Casimirus II. Vladislai filius, gentis nimiùm vicinæ, & crebris incursionibus antea infestæ subigendæ occasionẽ minimè negligendã ratus, copias ex Polonis & Germanis (qui magnam partẽ Silesij fuerunt) stipendiarijs quantas potuit maximas contraxit, magnisque itineribus in Russiã profectus, Leopolim, caput gentis, obsedit. Nec longum tempus intercessit, quum sese, arcemq; superiorem & inferiorem, atque opidum Russi dedidere; illud vnum pacti, vt retinere sibi veteres religionis ritus liceret. Ingens vis auri & argenti, gemmarũ, preciosarũ vestium, & reliquæ supellectilis, antiqua Russorum Ducum gaza, in ijs arcibus reperta est: in qua insignes erant duæ cruces aureæ, plurimis & preciosis gẽmis distinctæ, quarum altera portionem ligni, è quo Christus pependit, inclusam habuit, quæ etiamnum in Cracouiensi Basilica religiosè asseruatur: itemq; duo diademata seu coronæ, cum sella & veste auro gemmisq; rigente. Quæ omnia Casimirus in Poloniam secum asportauit; sed arces, ne Russi earum fiducia rebellarẽt, veritus, combussit, opidũ verò Germanis stipẽdiarijs quasi pro colonia assignauit, qui loci amœnitate solique fertilitate perspecta, ferè omnes, vt olim in Anglia Saxones, patriæ abiecto desiderio, sedes ibi ac lares perpetuos fixerunt. statim nouæ exornandæ patriæ intenti, Ecclesiã parochialẽ, in qua Catholicis siue Romanis ritibus sacra peragerentur (quæ nunc in suburbio Cracouiensi dicto sita est) in honorem Deiparæ Virginis, vnà cũ Xenodochio, quod à S. Spiritu nomen habet, exstruxerunt. Non multò pòst è Polonia reuersus Casimirus, nullo negotio Præmislia, Solnoco, Halicia, Lubaciouia, Tustano, ac cæteris oræ eius munitionibus potitus est, ita vt ad Cameneciã vsq; arma circũferret: ob res feliciter gestas, & regnum tam luculentæ prouinciæ accessione auctum, Magnus à suis appellatus. Post hæc Rex conuentu

Russo-


LEOPOLIS
Russiæ Australis Vrbs primaria
emporium mercium Orientalium
celeberrimum.
Insigne Ciuitati Leo:
poliensi à Diuo Sigismund
primo donat: A. 1526.
Insigne Ciuitati Leopoli:
ensi à Sixto V. Pont. Maximo
donatum. A 1586.
Arx superior quæ sereno cœlo decem
à Leopoli milliaribus cernitur.
Mons Stephani vulgo Leonis dictus.
Ecclesia Metropolitana DEI paræ
Virginis.
Mons Caluus
Ecclesia Russica S. Crucis.

Russorum habito,certam prouinciæ,ac regiminis formã instituit,Palatinis,Castellanis,Præfectis,Iudicibus,alijsq; Magistratibus Polonorũ more constitutis, Russosque eodẽ cum Polonis iure esse iussit: at Leopolitanis præsidiarijs seu nouis è Germania ciuibus iure suo Teutonico seu Saxonico vti permisit, plebiscito tantùm,quo marito duæ partes bonorum,vxori verò tertia tãtùm post alterius mortẽ cedere iubentur,confirmato:quod plebiscitum etiam aliæ Russiæ, Volhiniæ, & Podoliæ ciuitates susceperunt.Quia verò inde non sine magno sumptu & insigni subditorum grauamine ad Magdeburgense tribunal fiebat prouocatio;supremum prouinciale iudicium Teutonicum in arce Cracouiensi constitutum est,cui eius iuris Aduocatus cum septẽ Scabinis,à magno Cracouiensis arcis Procuratore lectis,præsidet.Successu verò temporis ex Palatinatibus Russiæ,Volhiniæ,& Podoliæ,ad Senatũ Leopolitanum appellationes interponi cœperunt,eamq; rem Poloniæ Reges ratam habuerunt,ac singulari priuilegio confirmarunt.

Anno M.CCC.LXII. ingens annonæ penuria & fames,rarum ijs in regionibus malum,Leopolim locaq; vicina non parũ afflixit:quam tamen Regis beneficentia mox subleuauit:nam in eius prædijs erat ingens vis frumenti è superiorum annorũ vbertate reliqua:quod ille moderato ac iusto precio ditioribus vendi curauit;ijs verò,qui pecuniam non haberent,pro opere, quod quotidie facerent,quantum æquitas poscebat,assignauit.Quæ quidem res dici vix potest,quãtum Leopolitanæ vrbi & firmitatis & ornatus adiecerit:Hoc enim modo conductis operis,Rex & vrbẽ muro cinxit,& vtramque tã superiorẽ quàm inferiorem arcẽ lateritias condidit.Ciuitati insuper iugera septuaginta (Laneos seu Mansos nonnulli vocant) subiecti muris agri circumcirca donauit.Idẽ turrim pro Basilica Metropolitana Deiparę Virginis,opus sumptuosum,intra męnia inchoauit:& anno M.CCC.LXIV. per Oratores Auinionem ad Vrbanum V.Pontificem missos,dictam Ecclesiam,assignatis ad dignitatem illam sufficientibus reditibus, in Metropolitanam erigi obtinuit.Cuius rei exequutor à Pontifice designatus Iacobus Suinka Gnesnensis Archiepiscopus, Leopolim venit,& præsente tam Rege,quàm maiori procerum parte,solemnibus cæremonijs Parochialem Ecclesiã in Metropolitanam consecrauit,primumque Archiepiscopum dixit Christianum,virum nobilem & eruditum. Verũ non multò pòst è viuis sublato Casimiro,ædificium hoc Metropolitanæ Ecclesiæ intermissum,ipsaque Archiepiscopatus dignitas Haliciã tunc tẽporis præ alijs Russiæ ciuitatibus populosam translata fuit.Casimiro successit Ludouicus Hungariæ Rex,qui Polonicarum rerum parum satagẽs, Vladislaum Cubitalẽ,Opoliæ Ducẽ cognatum suum,terræ Russiæ dominum & hæredẽ propalam scripsit. Is Leopolitanorum ciuium à Lithuanis infidelibus grauiter afflictorũ fortunã miseratus,quò sese faciliùs recolligerent,ciuibus natis & nascendis centum laneos Frãconicos ad septuaginta illos,quos Casimirus antè donauerat, extra ciuitatis pomœria addidit,ac iuri Teutonico subdidit:quo quidem terræ spacio pagi aliquot à familiarum in ciuitate præcipuis,vt Goldbergouium à Goldbergijs,Klopperouium à Klopperis,&c.cõdi cœperunt.Huc accessit liberalitas Hedvvigis Polonorum Reginæ,Casimiri neptis,quæ anno M.CCC.LXXXVII.Leopolitanos insigni priuilegio donauit,scil.Ne peregrini Mercatores ex Oriẽtalibus plagis aduenientes, vel merces suas aliò quã Leopoli vænum transportarẽt,vel secum auehẽdas emptum irẽt:tum ne vllis totius regni ciuitatibus metam Leopolitani emporij transire liceret.Ex quo tempore Leopolitani ciues multò ampliorem mercaturam exercuerunt:in qua singularis præcipuè Armeniorum elucet industria.Gens hæc olim cum Tauro-Scythis(quos Tartaros hodie vocamus)à Daniele Russorum Rege euocata,à Casimiro Leopolitanæ ciuitatis iure,certis tamen legibus,donata,Capham,Constãtinopolim,Alexandriam AEgypti,& Alcairiũ vsque,immò in Indiã penetrans,nobilissimas inde merces Leopolim aduehebãt: quas deinde Germani,Poloni,& Russi per regnum,& ad remotiora loca exportabãt,mutuaq; omnes beneuolẽtia & amore inter se certabant,& ciuitatẽ indies locupletiorem reddebant.His occasionibus freti ciues,subsidio etiam D.Vladislai Iagellonis(qui hodierni pientissimi ac clementissimi Regis Sigismundi III.maternus fuit atauus)& stipe adiuti,inchoatam à Casimiro templi Cathedralis structuram perfecerunt,& Sanctissimæ Trinitati dedicarunt;ciuitatem muro altero cinxerunt,Prætorium seu Curiam in fori meditullio,cum excelsa turri,itemq; portam Cracouiensem dictam,necnõ templum S.Stanislao sacrum in suburbio Cracouiensi,tanto artificio construxerunt,vt etiam peritissimi architectonicæ artis magistri hîc inueniãt quod admirẽtur.Circa hoc etiam tempus Leopoli(quæ tum Germanico nomine LEMBVRG notior)cusa moneta,in cuius vna parte Leo,cũ inscriptione CIVITATIS LEMBVRG,in altera Aquila,cum epigraphe, VLADISLAI REGIS,addito Christianæ æręnumero,M.CCC.XLV. Cõsummata Ecclesiæ Cathedralis structura,eiusdẽ Regis rogatu Ioannes XXIII.Pontifex,tertio Pontificatus sui anno, Halicia sedẽ Archiepiscopalem rursus Leopolim transtulit,eique suffraganeas,vt vocant, Ecclesias subiunxit,Præmisliensem,Chelmensem,Camenẽsem,Vladismiriẽsem,Luciouiensem,Cerecẽsem,& Kiouiensem,cum earum Episcopis,& quascunq; alias in Russia, etiã Russorum seu Græcorum sectæ;Archiepiscopatum tũ moderante Ioanne Ressouio,nobili Polono.Circa annũ M.CCCC.L. Germanis sensim in Polonorum mores abeuntibus,Acta Ciuilia nõ Germanico,vt anteà,sed Latino sermone scribi cœperunt: atq; ex eo tempore abolito Lemburgę nomine(quod tamen hodieq; inter Germanos vsitatum est)ciuitas Leopolis iterum nominari cœpit.Circa annum M.CCCC.LX.fundata est Ecclesia S.Andreæ,& Cœnobium Fratrum Bernhardinorum,in suburbio Haliciensi, in quo sanctissimè vixit,& austeram vitam egit venerabilis vir Ioannes de Duola,Anno M.CCCC.LXXXIII.in Christo placidissimè mortuus,cuius sepulcrum multis miraculis inclaruit,multis ægrotis,qui Dei auxiliũ per Sancti huius intercessionẽ implorauerant,sanitati restitutis.Tandem anno M.D.XXI.iuxta præscriptũ Bullæ Pontificiæ,sanctæ viri huius Reliquię, postquã annos XXXVII.in sepulcro iacuissent,aqua vinoq; lotæ,& honorificè iterum tumba cõditæ sunt:ad quã plurimi fideles difficultatũ suarum leuamina ac solatia consequuntur. Tẽplum hoc S. Andreæ simul cum Cœnobio sumptuosissimè paucos ante annos restaurari cœpit,liberalitate potissimùm Ioannis Demetrij Sulicouij Archiepiscopi,viri tanto honore dignissimi,& de Leopoli quãoptimè meriti.Ab anno Christi M.D.indies magis magisq; frequentari cœpit hæc ciuitas,propter omnium rerum tã ad victum,quã ad luxum pertinentium,abundantiã.Vix certè vllos ciues reperias, qui ad hostiles sustinendos insultus Leopolitanis próptiores fuerint ac fortiores:vt etiã anno M.D.XXIV.D.Sigismundo I.feliciter regnante,ingentibus Turcarum, & Tartarorum copijs restiterint,ac per quatuor integras septimanas obsidione vndiq; cincti,hostilem vim præclarè sustinuerint atque eliserint:cuius quidẽ obsidionis indicia in ruinis ac castrorum fossis circa vrbem adhuc conspiciuntur. Vnde etiã à sequentibus Regibus multò maiorib priuilegijs Leopolitani ciues donati sunt.Anno M.D.LXXXVII.Stephanus Rex, inclytæ memoriæ, Leopoli quadragintaviratum instituit,data eidẽ nomine totius Cõmunitatis cum Magistratu de arduis Reip.negocijs tractandi facultate:in quem viceni ex mercatoribus,& viceni ex opificum Collegijs alleguntur,totam quasi communitatem repræsentantes.Pro insignibus ciuitas Leonem à primis initijs gessit.Quum verò,vti suprà dictum est, Turcarum obsidionem ciues fortiter sustinuissent,Sigismundus I.auus hodierni Serenissimi Regis,valuam seu portam magnam patentẽ,cui tres turres supereminent, Leone in porta libero stante,addidit,vnà cum priuilegio rubra cera in publicis Actis ac literis vtendi:eiusq; donationis rationẽ in diplomate his verbis expressit:*Quò & rei nouitati aliqua eorũ ad posteros illa gloria maneret,& ipsi memores sese in eminentiori loco tãquã in turribus & specula positos esse,virtutẽ Leonis vigilantis animo,constãtia,excubijs & robore aduersus imminẽtes omni ex parte hostes viriliter imitari,maiorique indies studio & fauore, quẽ cera rubea designat,ad rectè formandũ & benè dirigendum Reip. illius ciuitatis statũ,operã suã nauare contenderẽt.*Quinetiã anno M.D.LXXVI.die XV.Septemb.Sixtus V.Pontifex Maximus ciuitati Leopolitanæ,paternę suæ familiæ insignia donauit,sequẽti misso diplomate:*Leoni dictæ Ciuitatis cõmunibus insignibus nostris tres monticulos,& stellã,de Leonis nostri stẽmate desumptos,Apostolica auctoritate,tenore præsentiũ,perpetuò inserimus & adiũgimus,sperantes fore,vt vos huiusmodi stellæ,& montiũ mystico præsidio muniti,de inimicis vestris,quibuscũ bellũ continuum gerendum est,exoptatã victoriã reportetis.* Arma siquidẽ militiæ nostræ(vt ait Apostolus)non sunt carnalia,sed potẽtia Dei,ad destructionẽ munitionum,cõsilia destruentes, & omnẽ altitudinẽ extollentẽ se aduersus scientiam Dei,& in captiuitatẽ redigentes omnẽ intellectum,in obsequium Christi,& in promptu habẽtes vlcisci omnẽ inobedientiam.*Quid enim aliud per Leonem intelligi debet nisi Christus?iuxta illud Apoc.5.* Vicit Leo de tribu Iuda? *Et Amos cap.3.* Leo rugit:quis non timebit?Dominus loquutus est,quis non euangelizabit? *De quo Num.24.* Accubans dormiuit vt Leo. *Quid per monticulos,nisi Ecclesia Catholica superædificata supra firmã petrã,in confessione sanctiß.Trinitatis?iuxta illud Isa.2.* Mons domus Domini in vertice montiũ,& eleuabitur super oẽs colles, & adeunt ad eã omnes gentes,& ibunt populi multi,& dicent; Venite, ascendemus ad montem Domini,ad domum Dei Iacob,& docebit nos vias suas.*Quid denique per stellam designatur,nisi Beatiß.Virgo Maria?quæ & Mater gratiæ,& Mater misericordiæ,pro salute fidelium suorum athletarum sedula exoratrix,apud Christum verum Leonem, quẽ maternis lactauit vberibus intercedit:vt Num.cap.24.* Orietur stella ex Iacob,& cõsurget virga de Israel,& percutiet duces Moab.

Sumite ergo vos benedictionis filij exemplar insignium nostrorum,præsentibus his expreßum,illudque contra quoscunque inimicos vestros,visibiles,& inuisibiles,& contra barbaras gentes eiusmodi adminiculo innixi,vt post adeptam à vobis de vtroque hoste in hoc mundo victoriam præmia cœlestis gloriæ in altero seculo assequi poßitis.

SENDOMIRIA.

Endomiriense minoris Poloniæ opidum, etsi spacio non amplissimū, dignitatis tamē Officiariæ prærogatiua inter prima totius Regni censetur; idemq; omnibus ad vitā suauiter degendam commoditatibus mirum in modum abundat. Situm est in colle, quem Vistula alluit, XXII. à Cracouia distat milliaribus. Ac licèt natura satis munitum sit, muro tamen includitur ac firmatur. Arcem habet ad meridiem saxis constructam, & colli impositam, vnde exteriùs præceps est tam aditus, quàm descensus. Ad radices collis (qui vniuersum opidum ab inundatione tutum præstat) nauigia merces exponunt. Ex superiori verò parte quum in præterfluentem amnem, tum in circumiacentes campos amœnissimus est prospectus.


Porrò Ciuitas hæc Satrapiæ siue Palatinatus (vt Poloni vocant) dignitate in primis fulget, sic vt post Cracouiense territorium, Sendomiriensis terra primo loco numeretur; eiusque Præfectus siue Palatinus à Cracouiensi primum obtineat locum. Habet enim sub se complures insignes ciuitates: inter quas præcipuæ sunt, *Secinium*, insigne opidum, loco plano situm, cum arce murata eminenti rupi imposito. A Cracouia XIII. abest milliaribus: Fodinis Iasuli clarum: vbi & argentum reperitur. *Corcinium*, ciuitas noua lignea, cum arce murata, ad Vislocum amnem inter paludes sita. *Vislicia*, ciuitas lignea, inter lutosas itidem paludes ad Nidam amnem sita. Tum *Pilznouium*, *Radomia* muro ac vallo circumdata, *Polouicium* inter colles constructa, *Zauichostum*, *Zarnouium*, *Malagostum*; aliaque nonnulla: præter pagos ac villas quamplurimas. Habet quoque Præfectura Sendomiriensis hoc priuilegium, ne cui oppignoratam, aut quouis modo obligatam possidere eam liceat. Quod publica legē Casimirus rex sub crimine læsæ maiestatis edixit, annitente potissimùm Rithuiano Palatino Cracouiensi, quū ex testamento Derslai fratris, Castellani Cracouiensis, paullò antè mortui, Præfecturam hanc ab Vladislao III. Rege ipsi oppignoratam gratis Regi reddidisset.

Quia verò Sendomiriensis tractus Russiæ vicinus est, cuius reges antequam ea Poloniæ regno accessisset, grauissima cum Polonis bella gesserunt, deinde ipsi à Tattaris in ordinem redacti, ac ferè subiugati fuerunt; dici vix potest, quot quamque atroces clades quum ipsum opidum, tum vniuersa regio passa sit. Nam anno Christi M.CC.XL. Tattari, peruastata Russia, tractum hunc magno impetu inuaserunt, exustaque arce Lublinensi omnem illam regionem ad Vistulam vsque longè lateque depopulati, Zauichostum arcem in ripa Vistulæ sitam incenderunt: indeque in Russiam reuersi, deposita tuto loco præda, quam opulentam asportarant, curriculo in Poloniam hyberno tempore reuersi, transmisso Vistula glacie concreto, ipsum opidum expugnarunt ac diripuerunt, pluribus mortalibus in captiuitatem abductis. Sed præ cæteris immanis illa clades fuit, quam ab eadem gente, dum Casimirus Rex cum agnatis, fratribus, atque etiam filijs intestino bello appetitur, Sendomiria passa est. Media enim hyeme, omnibus fluminibus glacie concretis, ingens Tattarorum multitudo, Russis ipsis adiutoribus ac ductoribus, in Poloniam sese effudit, qui summa celeritate vsi, & Lublinensem vrbem à Lituanis non multò antè vastatam, sed tunc à Daniele Russorum rege, arce capta, turrique rotunda præsidio munita occupatā, pretergressi, in interiora Sendomiriensis tractus impetum faciunt, multisque pagis, monasterijs & opidis direptis, tandem & ipsam Sendomiriam incendunt, & arcem sine vlla intermissione oppugnāt. Sed frustra, gnauiter eam defendentibus tam oppidanis & rusticis, quàm Nobilibus, qui eò tamquam in tutum asylum liberos & vxores seposuerant, & fortunas ac charissima quæque cōportarant. Viribus ergo diffisi Barbari, astu, vel perfidia potiùs tractare rem instituunt: & Leone ac Romano, Danielis Russorum regis filijs internuncijs, Petrum de Crempa Præfectum hortantur, vt in castra veniat, & se arcemque & omnem multitudinem paruo redimat. Sequutus illorum fidem Petrus, cum Sbigneo fratre & primoribus Nobilitatis in castra venit; ac cum Barbaris de sua ac reliquorum salute supplex agit: qui confestim miserè omnes obtruncant; sublatoque clamore, arcem, nihil eiusmodi expectantibus defensoribus, inuadunt ac capiunt, & promiscua cæde in perterritos & latebras quærentes grassantur, nemini parcentes præter puellas quasdam & matronas formosiores, ad contumeliam & explendam libidinem adseruatas. Tandem cæde defessi, reliquum vulgus hominum in Vistulam impulerunt: Tanta verò tunc cædes in arce facta dicitur, vt cruor ad Vistulam vsque exundarit. Cæteras quas quum opidum, tum tractus Sendomiriensis olim passa est calamitates, hoc loco recensere nihil attinet, quas suo quamque loco Polonicarū rerum scriptores, Cromerus inprimis describunt. Superioribus certè annis eandem regionem Rokossani (sic vocant, qui Regi minùs dicto audientes sūnt) grauissimè afflixerunt: sed illis vel ad meliorem mentem reuersis, vel digna pœna coercitis, facilè iam respirauit. Est enim solum circa Sendomiriam fertile admodum, & maximè optimorum pomorum ac fructuum omnis generis ferax, qui vel exoticis nihil cedant.

Non procul ab opido alter exsurgit collis, quà Vistulam respicit, in planiciem sese explicans, syluis & arboribus consitus, ac ligneo septo inclusus; in quo duæ Religiosæ ædes visuntur, quarum vna opido proximior S. Iacobo, altera remotior S. Paulo Apostolis sacra est, & à deuotis vtraque frequenter visitatur.

BIETZA.


SENDOMIRIA
1. S. Pauli.
2. S. Jacobi.
3. S. Euh.
4. Prætorium.
5. S. Mariæ Madale:
6. S. Petri.
7. Fara.


BIECZ
1. Templum S. Barb:
2. Tintinabulum.
3. Ecclesia Corporis Christi.
4. Ecclesia S. Spiritus.
5. Curia.
6. Castrum.
7. Aduocatio.

BIETZA.

BIETZA ciuitas Poloniæ minoris, muro circumdata, in amœna planitie ad Hungriæ confinium sita, quam Rapa fluuius irrigat, è cuius spumis sulphur conficitur, quindecim à Cracouia abest milliaribus. Castellanum habet peculiarem, qui inter principalem Cracouiensis territorij Senatum accensetur. Vetustum esse opidum inde patet, quòd VVenceslaus Poloniæ & Bohemiæ Rex pro nouo ad cōfluentem Donaiecij & Bialæ fluminum sub Carpatho monte, à se condito opido, & Sandecia noua appellato, Bietzense opidum Cracouiensi Episcopo, in cuius ditione ager ille erat, tradidit. Quum verò postea Ioannes Muscata Cracouiensis Episcopus eius coniurationis, quæ ab vrbis Cracouiensis Aduocato, de vrbe Boleslao Oppoliensium Duci tradenda, inita fuerat, particeps fuisse argueretur; Vladislaus rex cognomento Locticus ei, multis alijs insuper incommodis affecto, & vt quidam volunt, in custodiam incluso, Bietzense territorium ademit: quod ex eo tempore in Regum potestate mansit. Ager vicinus omnis generis frugum, & in primis fortissimorum virorum ferax, qui patriam non semel ab Hungarorum insultibus magna cum laude defenderunt.

LOVICIVM.


VNiuersum Poloniæ regnum ab Odera ad Vistulam, & à Vistula ad Boristhenem, hodie *Nieper* dictum à Ponto Euxino ad mare Balthicum, ab extremis Lithuanorum finibus ad Suecorum & Moscouitarum vsque limites extenditur, ex maximis & frequentissimis Europææ Sarmatiæ regionibus, in vnum corpus coalitis, constat: Polonia nimirum Maiore & Minore, Prussia (excepta ea parte quæ Ducatus nomine censetur, nihilominus vti clientelare beneficium à Poloniæ regno dependet) Massouia, Samogitia, Liuonia, Lithuania, Volhinia, Podolia, Roxolania seu Russia vtraque, Alba & Nigra, & Podlassia. &c.

Initio quidem apud polonos summa Potestas penes vnum fuit: isque Lechus memoratur. quo sublato, Principis vnius imperium pertæsa gens, XII. ex omni procerum numero sibi Duces seu Palatinos creauit. sed non multo post rursus ad vnum rerum summa delata est, qui Cracus fuit, Cracouiæ conditor, circa annum Christi DCC. cuius stirpe exstincta Palatini rursus Rempublicam gesserunt, donec Primislaus, vir astuto ingenio & virtute supra natales, quum feliciter rem aduersus Hungaros gessisset, anno LX. sæculi insequentis omnium suffragiis Princeps creatus est: quem alij atque alij longa temporum serie Principes sequuti sunt, vsque ad Boleslaum I. qui ab Othone III. Cæsare, posito Ducis nomine, in ciuitate Gnesnensi Rex, socius & amicus Romani Imperij appellatus est, anno post Christum natum M. I. Quod decus quum successores diu seruassent, eo tandem Boleslaus II. ob patratam S. Stanislai Episcopi necem, à summo Pontifice priuatus est: quod tamen sæculis aliquod deinceps Primislaus resumsit, Anno M. C C. X CV. ab Iacobo Archiepiscopo Gnesnensi regio diademate, bona cum Pontificis venia, insignitus. Ab eo Regium nomen mansit & dignitas, sed cum moderato potentiæ temperamento. Nam quamuis Rex supremam potestatem habeat; magna tamen quoque Regij senatus est auctoritas, qui ex Nobilitate constat, plebe ab vniuersa Reipublicæ procuratione omnino summota: ita vt optimatum veluti auctoritas regio imperio, regia vicissim potestas Senatus & equestris Ordinis libertate temperetur: sic fere, vt amplissimum illud imperium regio splendore fulgeat: & regia in eo potestas, quæ plerumque ad libidinem & insaniam vergens, quum cuncta licent, omnium scelerum & iniustitiæ seminarium est, sapientissimis Senatorum & Nobilitatis consilijs intra æquitatis terminos contineatur. Incredibilis tamen est Regum in Polonia Maiestas, ac subditorum erga eos cultus. Quod enim præcipuum est, summa est iuris dicendi apud eos potestas. & quamuis sine publici iudicij auctoritate nihil in quemquam statuant acerbius; tamen & pecuniarias & capitales pœnas legibus inflictas condonandi ius habent. Possunt & ad repentinos Reipub motus, vrgente periculo, signo dato vniuersam Nobilitatem ad arma vocare, & irruentibus hostibus sub vexillis opponere, mercenarium militem conscribere, creare militiæ magistros, exercitus exauctorare, & in militarium sanctionum violatores animaduertere. Sed potissima eorum in creandis magistratibus, & honoribus ac dignitatibus in eos quos dignos censuerint, conferendis facultas spectatur. Secundum Regem maxima est & augustissima Senatus auctoritas; in quo principem locum obtinent Archiepiscopi duo, Gnesnensis & Leopoliensis. & VII. Episcopi: tum Palatini XV. & Castellani LXV è diuersis prouincijs.

Cæterum vt propter venerandam Ordinis dignitatem in Senatu Regio Ecclesiastici primas tenent; ita inter hos dignitate præcipuus est Gnesnensis Archiepiscopus: qui Legatus S. Romanæ sedis natus, & totius Regni Primas habetur: subtractoque è viuis rege, etiam munere apud Polonos fungitur regio mittendarum ad exteros Legationum, custodiendorum finium, & promulgandorum comitiorum ius habens. Idem regem electum pronunciat, sacro oleo inungit, & regium diadema ei imponit. In supremæ dignitatis signum sublatus præfertur ei baculus, & cibum sumturo, militaria tympana pulsantur: qui honos soli Regi in Polonia habetur. Aula nulla, post regiam, præterquam Archiepiscopalis censetur: & familiares eius, Aulici, non vt cæterorum Episcoporum & Magnatum, Famuli vocantur.

Archiepiscopi huius sedes siue domicilium est cuius typum hæc tabella exhibet. Louiciensis Ciuitas, in Massouia ad Bsuram amnem sita. Quomodo vero in Gnesnensis Archiepiscopi ditionem peruenerit, Cromerus his verbis è vetustis membranis explicat: *Et Pontificia bulla* (Innocentij II.) *comperimus LOVICIAM cum decimis, villis, incolis, venatione, & omni prorsus iurisdictione seculari amplius centum annis ante hoc tempus* (Conradi Ducis Massouię) *Archiepiscopo Gnesnensi attributam, & ab ipso Pontifice confirmatam fuisse. Casimirus vero Magnus memorat, se vidisse literas Honorij III. Papæ, quibus is ad petitionem Lesconis Cracouiæ (verbis diplomatis vtor) Conradi Massouiæ, Vladislai de Caliz, & Casimiri de Opolie Ducum, iura, libertates, & possessiones Louiciensis districtus terræ Massouiæ confirmat, ipsumque districtum cum omnibus villis & possessionibus ab omni iurisdictione & dominio quorumlibet Principum penitus liberat. Vnde coniecturam capimus, quum ius Louiciensis territorij longe ante Conradum Ducem & cædem Ciaplæ* (Scholastici Plocensis, à Conrado Massouiæ Duce interfecti) *ad Archiepiscopum Gnesnensem pertinuerit, & à Ducibus Massouiæ locorum illorum dominis, nihilominus per vim dominatus is vsurparetur; Conradum Ciaplæ Scholastici cæde, dirisque Petri Archiepiscopi perculsum, tum demum Louiciam ipsi Archiepiscopo, diplomate suo ex integro donasse, eaque prorsus dicessisse.* Hæc Cromerus è membranis.

Porro oppidum hoc multo splendidius reddidit Iaroslaus Archiepiscopus, arce in cœnosis paludibus quum natura tum opere munitissima exstructa; quæ turribus & ædificijs quadrato è saxo conspicuis dignam Archiepiscopali sedem siue Residentiã præbet. Ipsa ciuitas ad vlteriorem Bsuræ ripam sita est loco amœno & ad omnes vitæ necessitates peropportuno, latis plateis, areis spaciosis & cultissimis hortis mirum in modum exornata Ecclesias habet pulcerrimas. Collegiatam, venusta structuræ symmetria præcellentem tres Parochiales, & Conuentuales duas. Solum fertilitate nulli in tota Polonia cedit. Vnde tanta ibi est frumenti ac reliquarum rerum terra nascentium copia, vt non ciuibus modo & inquilinis alendis sufficiat, sed & ad vicinos & exteros, etiam Gedanum siue Dantiscum vsque, magno cum colonorum lucro, exportetur. Illud mirum est, quod in solo fere Louiciensi territorio, auiculam passere non multo maiorem, quam à niue Sniegulam Poloni appellant, esu persuauem reperiri aiunt quæ cum niue simul aduenit ac disparet. Ciuitas ipsa tam multa ac præstantia variorum Opificum habet collegia, vt Norimbergæ quodammodo videatur æmula. Sed inprimis mirifice commendatur, ob variorum quæ hic fiunt bellicorum necnon aliorum instrumentorum tam bonitatem quam copiam: ideo vt totius regni quasi armamentarium, è quo vel maximus exercitus instrui possit, habeatur. Vnde etiã tam ciuium numero quam ædium splendore & opibus indies magis magisque augescit, Archiepiscoporum adiuta singulari liberalitate & industria, qui in hac sua vrbe exornanda nulli sumptui aut labori parcunt. Ipsum vero Louiciense territorium paullatim ita excultum est, vt quadraginta circiter populosas Parœcias Ecclesiasque tam ligneas quam lateritias comprehendat.



LOVICENSIS CIVITAS QVÆ EST ARCHIEPISCOPA-
li Gnesnensis residentia in Masouia.
ARX
Stabula Arcis
Septentrionalis
Pons Arcis
Pons ciuitatis supra flumine Bsura.
Fluuius Bsura.
Molendium in flumine Bsura
Vallus Arcis
Ecclesia Sanctae Trinitatis Ord. Praedicatorum.
Ecclesia S. Crucis cum Hospitali
Pons Arcis Orientalis
Praetorium veteris ciuitatis.
Ecclesia S. Ioannis
Ecclesia Collegiata.
Praetorium nouae ciuitatis.
Ecclesia Parochial. S. Spiritus.
Ecclesia S. Leonardi cum hospitali
Vicus Bratkowice.
Monasterium Bernardinorum
Monaster. F. Minorum de Obser.

PRAEMISLIA.

POLONIAE regno Roxolania quoque seu RVSSIA, veluti pars eius, accensetur. Quum verò Magnus Moscouiæ Dux Russiæ quoque Principem se ferat; non abs re fortè erit regionum harum fines describere ac determinare. ROXOLANIAE siue RVSSIAE nomen disseminatam gentem significans, vniuersim quidquid terrarum est inter mare Balthicum & Liuoniam, Sueciam, Oceanum glacialem, Volgam qui Rha hodie appellatur, Mæotim paludem, Pontum Euxinum, montes Sarmaticos, Poloniam, Lithuaniam & Samogitiam complectitur, in duasque regiones diuiditur; quarum altera Carpathios montes non longè à Cracouia attingit, & secundùm Tyram ad Valachorum fines, atque ex altera parte Borysthenem & Pontum Euxinum porrigitur; tum ad vtramque Axiaci fluminis ripam vergit, & à Tanai Europæ atque Asiæ limite ad Astracanum, nobile Emporium in citeriore Volgæ ripa ad eius fere ostia, vbi à Medis, Persis, Armenijs, Scythis & Moscouitis nundinæ celebrantur, per vasta terrarum spacia extenditur. Inde Volga non magno interiecto spacio, in LXX. ramos scinditur, plurimis factis insulis, totidemque per ostia nauigabilia in mare Hircanum siue Caspium euoluitur: & hæc quidem ROXOLANIA, quæ vltra Borysthenem ad Persarum vsque fines extenditur, magno Moscouiæ Duci paret: hæc, quam Regiam vocamus, Leopoliensi, Haliciensi, Belsensi, Chelmensi, & Præmisliensi districtibus seu satrapijs comprehenditur, & cum Lithuania in regni Polonici ditionem concessit.

Regia huius RVSSIAE (quam *Rubram* Cromerus, Maginus & alij Cosmographi *Nigram* indigetant) *non parua pars est*, vt iisdem Cromeri verbis vtar, *oræ Præmisliensis*, à Præmislia ciuitate nomen habens, duobus Episcopatibus, quorū vni Latinus siue Romanus, alteri Rusticus Græcorum ritus sequens, præest, cohonestata. Ciuitatem hanc Boleslaus cognomento Audax, Casimiri I. filius Poloniæ regno adiecit, moto Russis bello, in quo cū minoribus, quacumque cum exercitu incesserat, opidis facilè potitus esset, in hoc vno expugnando multum difficultatis inuenit: Qua de re sic Cromerus: *Præmislia à Septemtrionali quidem latere, qua rex veniebat, Sano fluuio, qui è Sarmaticis montibus haud ita longè à Tibisci fontibus oritur, ab reliquis verò, fossis & aggeribus munita erat, & à magna præterea multitudine hominum vrbanorum simul & agrestium, atque nobilium, qui ex agris eò se cum familijs & facultatibus suis receperant, defendebatur. Ad hæc ab vno latere arx opido imminebat, in edito loco sita, & validis mœnibus turribusque munita, & expugnatu, vt illa ferebant tempora, perdifficilis Rex igitur quum fluuium, nequicquam prohibentibus Russis, vado satis alto transisset, opidum summa vi oppugnat. Nec segniùs defendunt Russi, & crebris eruptionibus abundante multitudine Polonos oppugnationi intentos adoriuntur sed reprimuntur; magnaque cæde in opidum repelluntur. Postremò vim diutius sustinere se posse diffisi, deserto opido, in arcem se receperunt. Rex opidum summa rerum omnium copia diuitijsque refertum, quarto postea quam oppugnare cœpit die captum in prædam dat militibus. Arcem quia difficilis videbatur eius expugnatio, propter multitudinem defensorum, neque contrucidari suos volebat, corona obsedit, sperans fame sitique breui se eam circumueniendo in potestatem suam redacturum esse: equites quoque versus pabulatum dimittit, commeatum quàm plurimum in castra comportare, Villarum incendijs abstinere iubet. Ipse dispositis custodijs obseruabat, ne quid ad obsessos importaretur, neue ij libera è flumine aquatione vterentur. Nullas enim arx intus perennes habebat aquas. In magna difficultate, obstinatis tamen animis obsessi obsidionem sustinebant: donec fame sitique enectis iumentis, & peste in homines grassante, deditionem extremo æstatis tempore fecerunt, vitam, & quæ singuli vno onere secum efferre possent pacti. Rex arcem deditam, quantum potest, reficit & exornat, in eaque hyemem sequentem commoratus est, exercitu in hyberna distributo. Fuit hic annus à Christo nato M.LXIX.* Hæc Cromerus: ex quibus cùm situs, tum cetera huius ciuitatis luculentè intelligi possunt.

Quando verò Episcopatus Præmisliæ institutus sit, idem Cromerus sic memorat: nimirum Ludouicum Vngariæ & Poloniæ regem, debellato Georgio Russorum Duce; quum ei vber ac fertile solum Russiæ placuisset, & frequentari eam à Catholicis animaduerteret, missa ad Gregorium XI. eius nominis Pontificem Maximum legatione obtinuisse, vt duæ Cathedræ Episcopales, Præmisliæ & Vladomiriæ, Haliciæ verò (Leopolim postea trāslata) Archiepiscopalis, instituerentur.

Porrò auorum nostrorum memoria, Anno Christi M.CCCC.XCVIII. Ioāne Alberto Polonicum sceptrum tenente, ciuitas hæc à Stephano VValachię & Moldauię Regulo, vnà cum innumeris ferè opidis & pagis fœdè direpta atque incensa est, plus centum hominum millibus è Russia in miseram seruitutem abductis.

Sed & tam ex hac quàm reliquis cladibus paullatim recreata, nostro quidem tempore mirum in modum floret Pręmislia, adiuuante inprimis feracissimi soli ingenio, nec non Sani fluminis opportunitate, per quod incolę ac coloni merces suas, siliginem potissimùm & salem artificiosè coctum, in Poloniam, & Prussiam, Gedanum, Toruniam, & ad alia vicina loca magno cum lucro deuehunt. Ager suburbanus hortos habet amœnos & eleganter cultos; & pręsertim hortum seu viuarium Regium, omni ferarum genere refertum. Quidquid denique ad vitę pertinet necessitates, abundè non incolis modò, sed & vicinis atque exteris suppeditat.



TEMPLVM S. LEONARDI
ARX
PREMISLIA CELEBRIS RVSSIAE CIVITAS
Templum Parochialæ.
Cemitærium
Templum Franciscanor
Templum S Pietræ
PRÆTORIVM
PORTA GROCZKA
Dominicani
Porta Cracouiæ
FLV VI I VS SAN

NOVVM ZAMOSCIVM.

IOannes de Zamoscio, magnus Polonici Regni Cancellarius & generalis exercituum dux, illustri genere sed virtute & rebus gestis multo illustrior, vt de patria bene mereretur, in omnes partes animum versans, magno, sed laudabili ausu eam noua ciuitate augere constituit. Postquam enim bello quod Stephanus Rex inclytæ memoriæ cum Ioanne Basilide Moscouiæ Duce gessit, tam patriæ quã Regi præclaram operam nauasset, eoque facultates satis ante amplas, nõ parum auxisset: absens arcem suam Zamoscium vnde gentile ipsi nomen, egregie muniri nouisque substructionibus exornari curauit. E quo bello deinde reuersus, nouam Ciuitatem loco saluberrimo, ad Wieperzec fluuium in amœnissima planitie condidit, eamque muro, vallo ac propugnaculis firmissimis contra hostiles impetus muniuit, indito Noui, ad veteris differentiam, Zamoscij nomine. Idem omnes victorias, quas, & multas & maximas de Tartaris, Turcis, Moscouitis, alijsque regni hostibus reportauit, adeoque omnes res bello ac pace feliciter ac præclare gestas, vni Deo Opt. Max. acceptas referens, in eadem ciuitate ædem sacram, elegantissima structura, extra Dorici, intus Corinthiaci operis, è fundamento nouam erexit, varijsque picturis & sacra supellectili mirum in modum exornauit; in eaque Decanum infulatum & Canonicorum Collegium assignatis amplis prouentibus, instituit. Etsi vero omnẽ prope virilem ætatem in bello & militia contriuerit; Musarum tamen siue literarum bonarumque artium singulari amore semper flagrauit, earumque cultores insigni prosequutus est beneuolentia ac liberalitate. Verum enim est, quod vulgo dici solet, Artem non habere osorem, nisi ignorantem. Ipse vero Zamoscius iuuenis adhuc tam diligentem literis operam nauarat, eosque progressus fecerat, vt librum etiam pereruditum De Senatu à se conscriptum, sine nomine suo ediderit: quem Iac. Aug Thuanus ait se existimasse, Caroli Sigonij fuisse fœtum. sed ab eodem Zamoscio (quæ incredibilis eius fuit modestia) quum in Galliam cum Legatis ad regnum Poloniæ Henrico Andium Duci deferendum venisset, ægre vt suum esse fateretur expressisse. Quid mirum igitur, si vir tam doctus doctos semper amarit ac fouerit, ac doctrinarum studia promotum iuerit? Eam certe ob causam idem in noua illa sua ciuitate Academiam instituit, accersitis vndique singularum Facultatum Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ, tum aliarum artium liberalium Doctoribus, eamque vt & ecclesiam, perpetuis prouentibus ac censibus dotauit. Ipsam vero Ciuitatem non tantum munitionibus & tormentis partim de nouo magna artificum industria conflatis, partim hosti ademtis, instruxit, sed etiam immunitatibus ac priuilegijs cum Polonica Nobilitate fere communibus, auxit & ornauit. Ciues enim à publicis regni priuatisque teloniorum exactionibus oneribusque, quæ alijs ciuitatibus incumbunt, immunes in perpetuum reddidit: Ærarium, siue, vt vocant hodie, Montem pietatis, certa in tam pium opus collata pecunia, fundauit, vnde ciuium fortunis sinistro aliquo casu afflictis, alijsque pauperibus subsidium ferretur. Quibus commodis allecti variarum nationum homines, Poloni, Græci, Armenij, Hispani, Germani, magno numero eò confluxerunt, vt quamuis nata nuper ciuitas nunc omnium artiũ officinis, & insigni ciuium multitudine floreat, ac indies magis efflorescat. Magna hæc sunt, sed maius illud, quod idẽ huius opidi conditor, & hoc & cætera omnia quæ in sua ditione habuit, à sua successorũq; & hæredum iurisdictione abdicauit, & ad supremum Regni iudicium perpetua libertatis lege lata, adstrinxit, ita vt illud quatuor vicibus quotannis Zamoscij, quo etiam aliæ Ciuitates Legatos suos mittere solent, administretur.

Facere non possum quin hoc loco docti hominis, & quidem diuersæ religionis, Georgij Dousæ de tanto Viro elogium adscribam: idque tanto magis, quod & huius quoque ciuitatis faciat mentionem. Cametiâ, inquit, venio Leopolim, inde Belzum, post Zamoscium: vbi ea humanitate herois Illustrissimi Ioannis Zamoscij exceptus sum, vt omnium tædiorum & miseriarum tam molesti itineris facile sim oblitus. Tu cogita, quam melli mihi fuerit tanta terrarum spacia emenso, istiusmodi Viri, quo haud scio an quicquam melius sol illuxerit, fauentia haud indignum iudicatum. Nihil dico de auita eius nobilitate, nihil de maiorum eius præclare gestis. Per se, atque adeo suis virtutibus abunde illustris est. Ex quo ille gubernaculis regni admotus fuit, nihil prius habuit quam patriæ suæ omni ope, labore & sumtu ire opitulatum. Infestabantur iam pridem Tartarorum excursionibus limites Poloniæ: incolæ subinde è Podolia in diram Turcarum seruitutem abripiebantur. Nunc vero sub huius præsidio limites huius Regni tam tuti sunt, vt si quis eos vel maximis copijs instructus, inuadere se putet, incassum laboret, nunquam vtique ad propositi sui scopum peruenturus. Iamdudum Moldauiæ vastitiem inuecturi fuerant Tartari, nisi hic heros heroico planè ausu illi subuenisset, Tartarisque cum ipso Præcopiensium Principe profligatis, Hieremiam Mohile ibidem Palatinum constituisset. Nihil autem magis innatum eius erga patrios lares amorem declarare possit quam hæc ipsa Ciuitas, quam proprijs sumtibus à fundamentis exstruxit, mœnibus & propugnaculis aduersus hostium impetum validissimis muniuit, & à suo nomine Zamoscium appellauit. Omnes probe scimus, eum non solum Poloniæ, sed & toti Europæ, immortalis suæ virtutis effigiem, tamquam pyramides quasdam aut statuas reliquisse. Veteribus mos fuit, eis qui insigne ob facinus perpetuitatem meruissent, imagines & simulacra erigere: sed ego arbitror eiusmodi statuas & imagines vel vi ventorum conuulsas decidere, aut fulmine exustas euanescere: huiusmodi vero encomiorum genera, quæ viua sunt hominum simulacra, nullo modo conuelli aut senio obliterari posse; immo ipsa vetustate firmiora fieri. Quocirca huiusmodi laudum præcones præ Myrone illo statuario, Phidia & Apelle pictoribus, & Praxitele sculptore, admiratione digni videntur. Cæterũ quũ tot huius imperatoris erga Regnum Poloniæ extent merita, cum quonam potius eum conferam? Cum Cyrone Persarum illo Rege laudatissimo? An cum Atheniensium Duce Themistocle? cum Philippone Macedone, an Pericle? Sed cum nullo melius eum conferri posse, quam cum Magno Constantino arbitror. Merito etiam eum imitatorem Domini nostri appello, qui quum se bonum Pastorem nominasset, statim infert: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus. Et hic heros non semel in discrimen vitæ se coniecit, vt suæ fidei commissos â luporum rapacitate vindicaret. Optime cognitum habet quam personam sustinear: ideo omnes eius conatus eò spectant vt patriæ suæ inseruiat, priuata commoda publicis post habear. In singulis disciplinis ita excellit, vt totam ætatem in studijs triuisse videatur. Viros humanioribus literis excultos quanta beneuolentia prosequatur, ex Hippeo Musis & literarum studijs ab eodem exstructo satis constare arbitror. Summum ei Religionis studium: ad mandata Dei, totius vitæ cursum moderatur, omnibus prælucet, exemploque est subditis quid fugere, quid sequi debeant. Referebat mihi omnes fere victorias suas de hostibus quæsitas in diem Dominicam incidisse: quo nomine etiam Templum in hac eadem ciuitate, RESVRECTIONI DOMINICAE sacrum, incredibili impensa excitari curauit. Sed præter cætera quæ ibi vidi, Armamentarium in primis me obstupefecit, per quod cum me deduceret, se inibi non nisi tormenta bellica quæcumque ab hostibus acquirere potuisset, reponere dicebat: quorum iam magnam copiam Tartaris & alijs, præcipuè autem Moscouitis, dum bello maximi illius Batthorei Regis auspicijs præerat, belli lege eripuit. Et hoc quidem honorificentissimum tanti viri Elogium hoc loco adponere visũ est; vt pluribus innotescat. Cætera quæ multa huc congeri possent, omitto, vnum illud additurus, quo ille suum incredibilem erga patriam amorem ac studium publice testatus est. Est in hac ciuitate porta insignis & munitissima, in cuius ea parte quæ suburbium respicit, Reginæ cuiusdam imago depicta cernitur, cum tali inscriptione.

SALVE MATER ALMA POLONIA: TV NON SOLVM MOENIBVS, SED ETIAM PROFVSIONE VITAE NOBIS DEFENDENDA ES: ô SYDVS NOBILITATIS ET LIBERTATIS POLONICAE SALVE.


A. Armamentariū.
B. Arx.
C. Collegium.
D. Bursa.
E. Gielda.
F. Curia.
G. Templ. S. Thomæ
H. S. Crucis.
K. Lublin.
Templ. Rutcharum.
Forum maius.
Forum salarium
Porta de Ienowiecz
ZAMOSCIVM, Noua Poloniæ ciuitas. à magnifico eius regni Cancellario à fundamentis exstructa.

MOSCOVIA.

NON vrbi huic modo,ſed vniuerſo etiam,quod quidem latiſsime patet, Ruſsorum imperio nomen dedit Moſcua fluuius: qui in Tuuerenſi prouincia nõ longe à Moſaisko oppido ortus,vrbem hanc interſecat,inque ea ipſa cum duobus aliis fluuiis, Neglina ſcilicet,& Iauſa,commiſcetur.Eſt vero Moſcua ſeu Moſcouia totius Albæ Ruſsiæ ſeu magni Ducatus Moſcouiæ metropolis,ob amplitudinem etiam à Botero quatuor maximis Europæ vrbibus,Conſtantinopoli,Lutetiæ, Vlyſsiponæ quarta addita. Quatuor conſtat partibus.Primæ eique intimæ Kitaigorod: ſecundæ,Bielgorod nomen. Vtraque peculiari cincta eſt muro. Tertiam Skorodun: quartam Strelecka Slobana vocant. Aggere omnes è lignis & terra congeſta exſtructo,perpulcris cum turribus,circumſeptæ ſunt.Tantus eius eſt ambitus,vt ab expedito equite curſim tribus integris horis circuiri vix poſsit. In ipſo vrbis velut vmbilico Arx eſt magni Ducis, inter Moſcuam & Neglinam fluuios tamquam peninſula incluſa. Crargorod nuncupant id eſt, Imperatoris vrbem. Quanta huius ſit amplitudo, inde patet, quod Ducis ſatellitum qui hic habitant,olim vltra viginti millia ſint recenſiti:In eadem XIII. ſunt templa è cæmento & lapide conſtructa, totidem à turribus inſignia. Tam Regiæ quam templorum aliquot tecta inaurata,dici non poteſt quantum fulgorem eiaculentur.Templa vrbis partim lignario,partim cæmentario opere conſtant.Domus priuatorum ligneæ omnes.Nemini enim è cæmento autſaxis ædificare licet : niſi quod proceribus quibuſdam & primariis mercatoribus in ædibus receptaculum quoddam ſeu conclaue, lateritio opere fornicatum, paruum tamen atque humile exſtruere permiſsum, in quod, oborto forte & graſsante incendio, chariſsima quæque ſibi & precioſiſſima congerant atque abdant. Vrbs ipſa lutoſa admodum eſt.Plateas habet multas,ſed plane inordinatas ac diſperſas. Domuum vltra quadraginta millia numerari aiunt: quamuis inter ipſa oppida latiſſimi iaceant campi. Merces eò ex omnibus terræ partibus conuehuntur. Negociantur ibi Angli præcipue ac Hollandi,nec non ex Hanſeaticis ciuitatibus mercatores,magno cum lucro. Semel atque iterum ſæuiſsimas clades vrbs hæc pertulit: ſed neſcio an ſimilis fere vlla legatur illi quam Anno ſeptuageſimo ſecundo ſuperioris ſæculi paſſa eſt. Bellum tum erat Ioanni Baſilidæ cum Chrim Tartarorum, qui in Taurica Cherſoneſo & Circa Pontum Euxinum habitant,Chamo ſeu rege.Et hic quidem cum centum & viginti equitum millibus Muſcouiam petuagatus, ad ipſam vrbem exercitum admouit,incenſiſque ſuburbiis, tandem in ipſam interiorem vrbem ignem è machinis immiſit: qui momento temporis infinitas domos,quæ,vti ſupra diximus,pleræque omnes ligneæ ſunt,corripuit,adeoque totam propemodum vrbem intra tres horas (quod vix credibile,verum tamen eſt) depaſtus eſt. Miſerrimum vero omnium illud erat,quod quum pleriq; relictis fortunis ac domibus,per portas ſeſe vellent proripere,ijs fere omnibus clauſis,vel obtriti, vel à ſuperueniente flamma vel etiam aquis hauſti,perierunt.Tantam aiunt in ipſis portis cõfertim iacentium cadauerum fuiſſe multitudinem,vt ſtrues trium virorum altitudinem æquarit. In vniuerſum plus quam ſepties centum hominum millia diuerſæ ætatis ac ſexus,incendio hoc periiſſe numerati ſunt.Ex Anglis mercatoribus octo,tres viui euaſerunt, cellæ cuiuſdam ſubterraneæ,cui ſe incluſerant,beneficio,Rauleius nempe,Sparckius & Glouerus. Illud plerique mirati ſunt,quod quum extra vrbem ſummum eſſet ſilentium ac mira aeris tranquillitas, in ipſa tamen vrbe vehemens ventus,quamdiu durauit incendium,perflarit. Quod tamen minus mirum videri debet,quum tam ratione quam experientia conſtet,ex igne quoque ventum gigni. Aberat tum magnus Dux,cum ingenti exercitu Tartaris occurrere ſatagens: ſed ab eis eluſus,magna cum moleſtia & nuncium tantæ calamitatis accepit,& maiori cum dolore non multo poſt non vrbem,ſed vrbis velut cadauer aſpexit. Quæ vero ſuperioribus annis à Demetrio illo & aliis regnum affectantibus tam ipſa vrbs quam vniuerſum Ruſſorum imperium pertulerit, quam mirabiles rerum viderit conuerſiones,ex temporum noſtrorum ſeu Commentarijs ſeu Hiſtoriis apparet: quæ recenſere, non eſt huius loci.


MOSCOVIA VRBS METROPOLIS TOtius Russiæ Albæ.
MOSCVÆ VRBIS LOCA INSIGNIORA.
1. Magni Ducis arx, dicta Czargorod.
2. Magni Ducis conclauia noua.
3. Ecclesia S. Michaelis.
4. Aula, siue atrium vel Palatium Patriarchæ.
5. Conclaue, seu cœnaculum e latere exstructum, è quo magnus Dux populo se conspiciendum præbet, aut vnde Principis Edicta populo proclamantur.
6. Tabernæ siue pergula, in quibus diuersi generis animalium pelles, aliæque merces diuenduntur.
7. Curia ciuium, et Cancellaria prope quas Vnguentorum officinæ seu Pharmacopoliæ.
8. Legatorum externorum Aula siue Hospitium.
9. Carceres seu Custdiæ reorum
10. Tabernæ pictorum
11. Externorum Mercatorum Aula siue Hospitium.
12. Forum in quo fœnum et diuersi generis tentoria seu domunculæ venduntur.
13. Aquæ calidæ seu Thermæ
14. Magni Ducis hortus.
15. Poganiski iesoro seu lacus
16. Equile M. Ducis.
17. Armamentarium.
18. Forum equarium.
19. Domus Fusoria.
20. Glinski aula.
Intima pars vrbis dicta Kitaigorod
Secunda pars vrbis, suo circumdata muro, dicta Bielgorod
Tertia pars vrbis versus Septentrionem vocata Skorodum.
Moska fluuius
MERID.
OCCID.
SEPT.
ORI.

PATAVIUM.

Patauinæ vrbis antiquitatem illud arguit, quod ab Antenore, Troia, quam Græci exciderant, profugo, conditam plerique perhibent; & inter hos præcipuæ auctoritatis Liuius, dignus tam nobili patria ciuis. Et sepulcrum quidem Antenoris hodie eque ad ædem S. Laurentij monstratur. Romani populi imperio, quamdiu maiestas eius viguit, fuit coniunctissima: eiusque res quum militaribus tum pecuniarijs auxiliis multum sæpe adiuuit. Tanta vicissim Senatus populique Romani in hanc ciuitatem fuit beneuolentia, cura & sollicitudo, vt enatis olim inter ciues discordiis, alterum ex Consulibus, M. Aemilium, pacis constituendæ caussa, eò miserint (vt idem Liuius libro XLI. testatur) colonia iam ante multo melioribus, quam alias, conditionibus eò deducta. Patauinis enim ius suffragiorum tamquam ciuibus Romanis datum, Asconius Pedianus Commentariis in Ciceronis Orationes scribit. In fide & amicitia Romani Imperii ciuitas hæc stetit, donec ab Attila Hunnorum rege capta, direpta, & occisis ciuibus, incensa fuit: instaurata deinde à Narsete Iustiniani Imperatoris Legato & Rauennatibus; inde vero iterum centesimo anno postquam ab Attila subuersa fuerat, à Longobardis cremata: quibus à CaroloMagno debellatis, maxima sub eo eiusque Legatis & successoribus Berengariis, Rudolpho Burgundo, Hugone Arelatensi, Lothario atque Adelberto, potentiæ incrementa cepit, remque publicam libere administrauit, ad Othonis vsq; Imperatoris tēpora. Verum Anno M.CC. XXXVII. à Friderico Imperatore coacta Germanorum præsidium accepit: quorum insolentiam pertæsa, vigesimo anno post Rauennati Archiepiscopo sese subiecit. Non multo post Marcellus Carrariensis sub Præfecturæ specie vrbis imperium inuasit: sed ea, profligata ab Arolino & Rauennate Archiepiscopo Carrariensium familia, sub Romanæ Ecclesiæ ditionem concessit. Dominos deinde habuit Scaligeros: mox rursus Carrarienses: postea Ioannem Galeatium Vicecomitem: inde tertium Carrarienses. tandem in Venetorum deuenit imperium, mirabili alternantis fortunæ ludibrio, quum colonia Patauiorum Venetiæ fuerit: vt iam in felici filiæ gremio ac patrocinio conquiescat mater. Sed nec Venetis diu fuit tranquillum huius ciuitatis imperium; quam Maximiliano Imperatori Anno M. IↃ.IX. restitutam, iidem secundo post mense suam in ditionem redegerunt, & contra Imperatoris ad obsidionem reuersi exercitum, LXXX. vt nonnulli scribūt armatorum millibus constantem, tutati sunt: ac paullatim turribus, vallis & propugnaculis ita muniuerunt, vt nulla vi expugnari posse videatur, modò defensores aliæque ad tutelam res necessariæ ne desint. Triplici muro cingitur, & fossis admodum profundis Meduaco fluuio (Carrariensium id opus) sese infundente: Palatiis & ædificiis tam publicis quam priuatis, valde magnificis tota splendet: inter quæ sumtuosissimum est S. Iustinæ Monasterium, ambitu Italicum milliare complectens, & annuo octuagesies millenorum ducatorum reditu dotatum. Hic olim Iunonis fanum fuit, si Blondo credimus, in quo Patauini arma & spolia Lacedæmonijs maritimo prœlio victis erepta, dedicarunt ac suspenderunt. Nunc ibidē in candida marmorea tumba B. Lucæ Euangelistæ ossa magna cum veneratione asseruantur. Est quoque aliud augustissimum templum, S. Antonio Vlyssiponensi (cuius hic quoque marmoreum sepulcrum ostenditur) sacrum; inque eo multa tum ad externam structuram, tum ad interiorem ornatum pertinentia, visu & admiratione digna. Curia quoque, amplissimū Prætoris domicilium, singulari elegantia cernitur: quam Henricus I. Imperator exstruxit, crematam vero Veneti longe splendidiore forma refecerunt; inque ea T. Liuii, Romanæ Historiæ patris ossa sublimi loco posuere. In hac atrium est, CC.LXXII. pedes longum, latum LXXII. nullis in medio innixum columnis: in quo T. Liuii, Alberti Theologi, Pauli Patauini Iurisconsulti, & Petri Aponensis Medici imagines ad viuum expressæ conspiciuntur. Fora quoque habet admodum spaciosa: quorum vnum deambulationi & congressibus Nobilitatis dicatum: secundum Olitorium: tertium Frumentarium: quartum Lignarium: quintum Palearium est. Pontes quoque in vrbe complures lapidei, quibus fluminum & aquarum transitus passim coniungitur. Quadraginta habet Parochiales Ecclesias, cum quatuor Cœnobiis mendicantium Religiosorum. Academiam hic seu Vniuersitatem Fridericus II. Imperator instituit, vt Bononiensibus ægre faceret, qui sese Romano Pontifici fœdere contra Imperatorem constrinxerant. In hac Collegia sunt aliquot, inopiæ studiosorum iuuenum subleuandæ condita. Vix certe tota Italia vllum est bonarum litterarum Gymnasium, quod frequentiori exterorum, Germanorum inprimis, ac Medicæ arti operam dantium, concursu celebretur. Ciues ingeniis summis sunt, & ad literas omniaq; virtutis studia prompti, optimo corporis habitu, ac politis moribus præstantes, & in omnibus actionibus ciuile quid & lautum præseferentes. Summam rerum omnium vbertatem incredibilis agri fertilitas vrbi suppeditat. Panis hic conficitur totius Italiæ candidissimus ac mire sapidus. Vino quoque abundat generoso, quod Plinius inter optima numerat. Hinc Italorum prouerbium: *Belogna la grassa, Padoua la passa*: quo Patauini agri vbertas Bononiensi præfertur. Tota regio vicis, pagis & villis referta est, quæ Venetorum Patritiorum fere sunt, mensibus æstiuis cum familia hic rusticantium. Collibus quoque & montibus nonnullibi intumescit: qui plerique omnes vitibus, oleis ac reliquis fructiferarum arborum generibus sunt consiti. Iuxta sunt colles Euganei, Poetis celebratissimi, vicis villisque ornatissimis frequentes: inter quas pagus est Arquatus, ad differentiam alterius in Polinicio Rhodigino, Montanus cognomento, Francisci Petrarchæ, qui diu hic habitauit, & tandem corporis deposuit exuuias, memoria & sepulcro è rubro marmore celebris. Nec procul inde vicus est Euganeus, prope quem aquæ calidæ, perpetuis vaporibus æstuantes, Aponi Balnea vocantur, à propinquo vico Apono. Virentes calidis his aquis innasci herbas, etiam Plinius auctor est. Circa Monasterium S. Mariæ in monte Ottonio cœnum calidum inuenitur, ad multos morbos salutare, quod vndique scaturientes aquæ calidæ efficiunt. Iuxta est Cœnobium amplissimum, Prulia nomine, Benedictini ordinis, ædificium inprimis sumtuosum, & nobilissimis totius Italiæ conferendum, Anno. M.IↃ. non procul Patauio Maximi cuiusdam Olybij sepulcrum, & in eo lampas adhuc ardens inuēta sunt. Antiquarum Inscriptionum passim in ciuium domibus tantus est numerus, quantus vix vllibi. Quid de innumeris prope viris dicam, qui partim ortu suo, partim bonarum litterarum professione patriam hanc illustrarunt? De quibus satius est silere quam pauca aut non digna dicere.


PATAVIVM
NOBILISSIMA
Et litterarum studys
Florentissima Italiæ ciuitas
ORIENS
SEPTENTRIO
1. Ogni Santi
2. S. Massimo
3. La Beata Elena
4. S. Maria Incoria
5. Gli Giesuati
6. L'Hospedal de gli Orfani
7. Gli Chiettini
8. Gli fra allemani
9. S. Maltia
10. S Sofia
11. Le Conuertite
12. S. Simeone è Guida
13. S. Biasio
14. S. Bernardino
15. La Casa de dio
16. S. Catarina
17. Il Collegio di S. Caterina
18 Collegio Spinello
20. S. Francesco
21. La carita di S. Malgarita
23. Il Santo
22. S. Lucia è S. Roco
26. S Steffano
24. Collegio di S. Lucia
25. S. Agnese
28. S. Jonuo
29. Gli Heremitani di S. Nicola
27. S. Lorenzo
30. S. Paulo
31. S. Fermo
32. La Chiesa de Carmini
33. S. Jacomo.
34. Scola di S. Jacomo
35. S. Leonardo
36. Le Madalerie
37. Le Conuertite
38. Li Anzoli
39. S. Geronimo
40. Li Crosieri
41. S. Giouani di Verdara
42. S. Antonio de Vienna
43. S. Benetto Monache
44. S. Benetto Frati
45. S. Prodocino
46. S. Giouani
47. S. Agostino
48. Le Citadelle
49. Castello saracinesca
50. S. Michele
51. S. Maria de Vanto
52. La Madonna del torresin
53. S. Daniele
54. Monache de Betelem
55. Il Pra della Valle
57. S. Giustina
62. Li capuccini
63. S. Croce
64. Piazza
66. Piazza
65. Camara
67. Palazzo
68. S. Sebas
69. S. Agata
70. S. Luca
71. S. Tornaso
72. S. Maria de
73. S. Cariciano
74. S. Vliana
75. S. Zilio
76. S. Martino
77. Le Scuole
78. S. Marco
79. Piazza del Legne
80. S. Matteo
Brenta flu.
P. de Ponte Corbo
P. de S. Croce
P. Saracina
P. Sauonarola
P. S. Giouani
Codalonga
Porta del Portello
P. de S. Leonard

NOVARIA.

INSVBRIÆ, seu Mediolanensis Ducatus in Transpadana regione oppidum, hoc est, non postremæ notæ, ad Pedemontij fines situ. Idem ei nomen est apud Plinium, Catonem, Tacitũ, Ptolemæum, Procopium. De primordijs vero eius non idẽ tradunt auctores. Quidam enim ab Eltio Troiano Veneris filio conditam aiunt, qui montem in quo ciuitas sita est, Eltium à se dixerit, ipsam vero vrbem Nouariam, quasi Nouã Aram quod hic cum Venere matre sacrificium fecisset; eamque dein ab Insubribus auctam, & ea propter illis à Ptolemæo adscriptam. Quæ quã à fabula propè absint facile intelligi potest. Plinius lib. III. ca. XVI. Nouariã ex Vertannacoris Vacantiorum ortã, & pagum perhibet, non autem Ligurum, vt existimauit Cato: apud quẽ in fragmentis legitur Nouariã ante ab Herculis Ægyptij nomine Lybiam, & cognomine Ariã, Agyptio nomine Leoninam, sed à liguribus instauratam, deinde Nouariã esse dictam. Quem locũ explanans Annius Vercellas Nouariamque primum à Thuscis Alpium incolis conditas putare se dicit, quoniã illa gens Alpes omnium prima tenuerit, deinde autem ab Hercule Libyco auctas, postremum à Liguribus instauratas, & NOVARIAM, sicuti Nouam Ariã, id est Leoninam vel Herculeam Nouam nuncupatam. Hæc illi: de quibus docti viderint. Antiquã sane esse vrbem, quum ex his tum ex alijs manifestum est. Sita est modico in colle. Ager circumiectus partim montosus est ac sterilis, partim planus, fertilis & amoenus. Diu sub Mediolanensium Principum fuit ditione; primum Turrianorum, deinde Vicecomitũ, postea Sfortiarum; itemque Franciæ Regum: vti & ipsum regionis caput Mediolanum. Ad Nouariam Ludouicus Sfortia Dux ab Heluetijs proditus est & Gallis traditus Anno M.D. postea vero Ioanne Iacobo Triuultio & Palissa sũmis Gallicani exercitus Præfectis Maximilianũ Ludouici filium Nouaria inclusum obsidentibus, eadem gens iam tũ superioris temporis aduersus Ludouicũ iniuriam & labem inde sibi aspersam sarcire atque eluere cupiens, pugna ad Riotam non procul ab ipsa vrbe, commissa, tantis animis, tantaque vi hostem aggressi sunt, vt cæsis XII. Gallorũ millibus XXV. captis bellicis tormentis reliquis hostibus fusis fugatisque, Maximilianum periculo. Nouariã obsidione liberarint. Pernobiles aliquot hac in vrbe sunt familiæ, Torniellorum, Caballatiorum & Brusatorum, quæ patriæ maximas sæpe clades inuexere. Illustrarunt eamdẽ inclyti ciues permulti, nominatim Albutius Silo magni nominis Orator, qui Augusti vixit temporibus. Tum Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, qui vt enchiridiũ & veluti Catenam, vel potius Harmoniam & Oeconomiã rerum Theologicarum, communibus studijs suppeditaret; quatuor libris (*Sententiarum*, vocant) vniuersæ Theologiæ summam ac fidei Compendium cõtexere voluisse visus est: ex quo sacræ Scripturæ candidati vel ad altiora viam sibi munirent, vel si qui forte temporis & fortunarum angustia exclusi, aut certe labore tot euoluendorum voluminum deterriti, ad altiora perueniendi spe abiecta, in imo subsisterent, fructus tamen vberes inde percipere possent: nempe, quum Catholicorum omnia fere dogmata, sententiæ, testimonia, vno illo libro concludantur. Nouariensem quoque nonnulli faciunt Petrum Comestorẽ, Historiæ Ecclesiasticæ scriptorem Superioribus annis fato cõcessit Ioannes Maria Cataneus hac vrbe orius, excellens Poeta, qui præter alia litterarum monumenta Christianorum expeditionem ad bellum sacrum, Heroico panxit carmine. Hodie vrbs hæc ab Hispaniæ Regis in Insubria Præfectis egregie munita est, maxime postquã contentio inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces de Monsferratensi agro in apertum bellum erupit. Non ita pridem quoque castrum munitissimum Sandouallum nomine, non procul ab ea ad reprimendos Sabaudi è Pedemontio conatus, exstructum.


NOVARA
Mediolanensis Ducatus Civitas
A. Mediolanum.
B. Pauia.
Anno Domini 1513. ciuitate hac à Ludouico Galliarum rege
obsessa, præsidiarij milites Heluetij, eruptione facta, castra
Gallorum inuaserunt, et cæsis XII. millibus, XXV. bellicis cap:
tis tormentis et impedimentis omnibus direptis, obsidionē
soluere Gallos coegerunt.
Communicauit Georg: Houfnaglius.
A
B

TRICARICVM

ANTIQVISSIMA hæc est Lucaniæ, quæ Basilicata hodie dicitur, & Neapolitani regni prouincia est, ciuitas: quam nonnulli è duorum oppidorum Tricæ nimirum & Argi (vnde etiam nomen sortita sit) ruinis ædificatam volunt. Aiunt enim, Diomedem Capanum Græcorum ducem, post Troiæ excidium, cum validis copijs in Apuliam traiecisse, ibique Danij regis filiam vxorem duxisse, accepta dotis nomine à socero dimidia regni parte. ea vero minime contentum, & augendi imperij cupidum, proxima quæque inuolasse, ac vicinos suo subiunxisse imperio, destructis eorum ciuitatibus, & inter ceteras Trica & Argo solo æquatis. Quamuis autem hæc ab ipso restaurata fuerit, priores tamen incolas vt stabilem ibi sedem figerent, adduci non potuisse, sed coitione facta cum ijs qui Tricæ antea habitarant, eo in loco vbi hodie Tricaricum situm est, communem sibi ciuitatem constituisse. Inter hæc litem inter vtrosque ortam de nomine ciuitati imponendo, tam his quam illis veteris patriæ memoriam retinere cupientibus: tandem vero ita inter eos conuenisse, vt sicut iam in communia iura ac ciuitatem coijssent, ita eidem commune ex antiquis vtriusque gentis nominibus compositum nomen inderetur. Sic quæ à Græcis Tricargos initio dicta fuerit, postea ab Italis Tricaricum appellatam. Hæc quidem illi de origine & nomine huius ciuitatis: quorum fides penes auctores esto. Ad ipsam quod attinet, posita est inter duo flumina, Obliuiosum & Vasentum, (antiquis Casuentum) quæ tamen circiter duo passuum millia ab ea distant. Aere gaudet mire temperato ac salubri. Hinc amœna fructiferorum montium iuga vrbi imminent; illinc lætissimi campi per spaciosam planitiem porriguntur. Tam montuosa quam plana fontibus passim scatent, ac multis riuulis irrigantur. Tellus optimum frumentum ac vinum laudatissimum, frugesque omnis generis, quidquid denique ad vitæ tam voluptatem quam necessitatem spectat, copiose producit. Episcopalis hic est Ecclesia; præterque hanc multæ aliæ sacræ ac Religiosæ ædes: in quibus preciosæ Sanctorum reliquiæ adseruantur; vt S. Antonij Abbatis, cuius ossa ad stuporem miraculoso splendore fulgentia in hodiernum diem in Cathedrali templo visuntur. In magna quoque hic habentur veneratione Reliquiæ S. Potiti & S. Pancratij, martyrum. Nec religiosi modo & Catholicę fidei seruantissimi sunt incolæ, sed insigni etiam morum vrbanitate præditi, Nobiles præsertim, quorum hic est magnus numerus, & census à plebe distinctus.



TRICARICVM BASILICATÆ CIVITAS
Torre principale.
S. Chiara monasterio di monache di S. Francisco.
S. Fran.co ordine de Calzati
Castello del Prencipe.
Seggio della Nobilta.
Porta le Beccarie.
Porta Vecchia.
Palaggi de Ronea.
Palaggio de Veronica.
S. Michele Arglo Parrochia
S. Cruce
S. Maria le gratie ordine de Capuccini
Palaggi de Corsuti
Del Cantore Fraggione
S. Maria Magdalena
Fornaci de Vasari
S. Leonardo
S. Maria de Martiri
Fontana della Città
Consarie de Corami
Sto. Antonio di Viena
S. Antonio di Padua Ordine de Zoccoli
S. Maria il soccorso ord. del carmine
1. Porta le monte.
2. Porta la fontana.
3. Porta la Saracina.
4. Vescouato.
5. S. Maria l'Ambarda parrochia
6. S. Sebastiano.
7. Nuntiata.
8. Abbatia del pendino.
9. Piazza.
10. Piazza, o, strada d.a il campanaro.
11. Ospitale.
12. Pallaggio del Vesc.o
13. Pallaggio del Caualllier Castellani, et altri Castellani.
14. Pallaggi de grilli.
15. Pallaggio de topatij.
16. Palaggi di Imperatrice.
17. Palaggi de Corsuti.
18. Palaggio d'Ipolito.
19. Palaggio d'Abbate.
20. Palaggio del Barone Campilongo et altri.
21. Palaggio de Soria.
22. Palaggi de Putignano.
23. Palaggi de Monaco.
24. Palaggio de Prencipe.
25. Palaggio de Russo.
26. P. de Marchese.
27. Palaggi de Cetani.
28. Palaggio de Capoccia.
29. Palaggi de ferro
30. Palaggio del filosopho Amplo
31. Palaggio del filosopho Durãte.
32. Del filosopho campilongo.
33. Del Pittore ferro.
34. Di casa Martino.
35. Di casa Zotta.
36. Casa del Spetiale Maurino
37. Protonotario Caporale.
38. Arme, o, impresa della Città.

LE REGARD DE LA MER

de Sicile, communement, *il faro de Messina.*

PLusieurs anciens escriuains tesmoignent que ceste isle de la mer que nous appellons auiourd'huy Sicile a esté conioincte auec la Calabrie ; & plusieurs recents autheurs sont de mesme opinion, excepté vn seulement, que ie sçache Iean Oliuier, lequel en ses commentaires de Pompone Mela dit, [ce que traicte Mela de la Scylle & Charybde, il est certain que ce soit vne fable. Quand au fort estroit bras de la mer entre la Sycile & Italie il est vray, mais on ne sçait point certainement, si la Sicile a estè conioincte auec Italie. Vne mesme fable, ont raconté sans aucune raison aucũs anciẽs du bras de mer Gaditan, que l'Affrique & Espagne ont esté deux regions conioinctes: par apres par le mouuemẽt des eaux marines sont separees & la mer introduicte, fables tresimpudentes.] Ces choses traicte iceluy: auquel est cõtraire, comme i'ay dict, le consentemẽt de tous les autheurs tant anciens que recents. Virgile au troisiesme liure d'Æneide, descriuant la Sicile, parle en ceste maniere.

Hæc loca, vi quondam & vasta conuulsa ruina,
(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraq; tellus
Vna foret. &c.

Laquelle sentence Theodore ne traicte pas seulement, ains aussi la confirme par vn argument deduit de son etymologie ou deriuation du nom, escriuant ainsi au cinquiesme liure: [les anciens autheurs escriuẽt que Sicile iadis a esté conioincte a l'Italie, mais par apres pour telle cause est deuenue isle: du costé que le destroict des deux parties de la mer, estoit agité des ondes, la terre estant rompue des mouuemens de la mer, a faict passage aux eaux, de laquelle rompure de terre ce lieu a estè appellè royal en latin *Rhegium* & quelques ans apres on a basty en ce lieu vne cité du mesme nom. [Mais de cela parlerons cy apres. Il n'appartient pas plus amplement de refuter ou confirmer ces deux opinions: combien que cela confirme la premiere, qu'vne partie d'Italie habitee par les Brutiens & autres peuples voisins, est aussi appellee Sicile par les anciens autheurs, & auiourd'huy y a deux Siciles l'vne de ce costé l'autre de l'autre costé de ce destroict de la mer, dont aussi le Roy Catholicque d'Espagne, &c. adioute en ses tiltres l'vn & l'autre Royaume de Sicile.

Ce destroit qui separe la Sicile d'Italie, est appelle de Strabon *Rheginũ*, de la ville *Rhegiũ Iuliũ*, d'Athenee au vi. liure *Scyllæum*, du rocher Scylla au destroict vers l'occident: de Thucydides est appellè *Charybdis*, de l'autre rocher vers l'orient, desquels sont grands perils aux nauigeans; dont ce destroict d'Ouide liure xiii. de sa Metamorphose est appellee *Naufragum*, c'est a dire qui destruit les nauires. Au liure du voyage d'Antonin est dit *Traiectus*, auiourd'huy des Italiens, *Faro de Messina*, de la cité, Messana nommee des anciens & de Ciceron Mamertina, dont ce bras de mer est appellè Mamertinum. Le pourtraict & descriptiõ de Messana pourrez voir au premier volume de ces citez. Mais il est si estroit, qu'en aucun lieu il ne passe outre six mils pas, si outrageux & cruel, non seulement a cause de Scylla & Charybdis (desquels est le prouerbe) mais aussi pour la vehemence du regorgement estroict de la mer, de sorte qu'il est plus a craindre que l'Ocean mesme.

Le passage est trescommun & briefue d'Italie en Sicile par ce destroit entre *Rhegium Iulium*, & *Messana* ville tresrenommee de Sicile. Qui veulent que ceste ville *Rhegium* ayt estè ainsi appellee des Samnites a cause de sa renommee, en vain trauaillent, parce qu'a cela outre plusieurs autres choses contredit le nom de la langue maternelle, car il est appellè des Italiens Rezzo, sans doute ἀπὸ θῆς ῥήξεως, c'est a dire rompure ou arrachement, & Manutius en sa Ortographie escrit qu'il doit estre escrit auec vne aspiration au commencement. Gabriel Barrius enseigne hors de Ioseph qu'elle a esté appellee iadis *Aschenatz*: lequel adioute qu'elle a estè nomme d'Antioche aupres de Denys Halicarnassæus *Neptunia* ou *Posidonia*. Probus Grãmarien escrit hors des origines de Caton en la vie de Virgile, que les habitans & voisins ont esté appellez du fleuue par icelle passãt *Taurozini*, & par apres *Rhegini*. Le chãp de *Rhegiũ* (duquel Cicerõ fait mẽtion en sa premiere Philippiq;) iadis treslargemẽt, estoit estendu iusque au fleuue Alix. Silius Italicus au liure xiii. l'appelle *Rhegina littora*. Solin *Rheginos saltus*, & sainct Hierosme dit au liure des lieux Hebreux que *Rhegium* est ville de Sicile, a sçauoir de celle qui est de deça de Faro, Strabo & Solin affermẽt qu'elle a esté bastie des Chalcidiens, destruite par Denys tyran de Sicile, a raison de ce qu'a sa demande d'vne noble fille pour son mariage, on luy ait presenté la fille d'vn bourreau, mais depuis reparee en partie par le fils d'iceluy Denys le ieune est appellee *Phœbea*: par apres qu'icelle ayt receu vne grande perte de Dec. Iubellius conducteur de l'armee de la Campanie, tesmoignent Thucydides & Polybius, de laquelle vn peu releuee, a esté miserablement esbranlee & deschiree par vn mouuement de terre moult horrible, vn peu deuant la guerre Marsique; refaicte par apres de Iule Cæsar, & augmentee de plusieurs hommes, lesquels il auoit eu entre les compagnons de nauires, & de la a tirè le nom *Iulium*. Icelle a esté iadis ville trespuissante, & mere de plusieurs colonies, vne defence tresforte fortifiee de tours & chasteaux contre les Siciliens. Liuius en diuers lieux traicte les faicts des Rheginiens, mais principalement au xxiv. liure, cõme aussi



ORIENS.
PROSPECTVS FRETI SICVLI,
vulgo il Faro de Messina.
Mare angustum, atque anceps, alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus influens, verticosum: SCYLLAE et CHARYBDIS sæuitia inclytum.
A.
B.
C.
D.
E.
Verg. 3 Æne.
Hæc loca vi quondam et vasta conuulsa ruina
(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)
